cc
SPK

(Karl Ludwig, ...)
Pfalzheim

Prag 1754
(Landschaft (Andreä)) No. 635

SYMBOLA

PHILOTHEI SYMBOLA CHRISTIANA

Quibus

IDEA HOMINIS CHRISTIANI

EXPRIMITUR.

LUGDUNI BATAVORUM.
Apud Viduam JOHANNIS à GELDER.
ANNO M DC LXXXII.

PAVLVS HACHENBERG,

Prof. Publ. in Acad. Heidelb.

LECTORIBUS SALUTEM.

Veterum Sapientia, quam recens cælo demissam innocentes animæ excepérunt, quum optimis institutis augusta, præceptis salubribus ampla, rerum cognitione interiore clara esset, tum ipsô modô, quo animis hominum inculcabatur, facta est admirabilis, eximiamque sui pulchritudinem omnibus commendavit. Neque enim eam ambitio, quæ nunc inter prima bonæ mentis im-

pedimenta est, factione, & discorde opinionum pugnâ lacerabat, aut intolerandâ superbiâ, diro in æquales livore, procace in summa capita libertate contaminabat; sed ea primorum mortalium fuit moderatio, ut quum verè essent sapientes, sese tantùm Sapientiæ profiterentur cultores, vitaque magis ac moribus, quàm verbis philosopharentur. Itaque nec ineptiis occupati, sterilem jejunamque interpretationem ad hæc sacra afferebant, aut morosis tetricisque præceptis, & obscuris implexisque quæstionibus vim Sapientiæ adstringebant: quum nuda ac simplici ratione, qualem veritatis propriam esse ait Euripides, explicanda ea putarent instituta, quæ animum terræ suæ tenaciùs affixum, re-

vocare

vocare à vitiis, & à mortalitatis ſecernere contagione debebant. Hinc alii, ut ſuaviùs deſcenderent in animos, certis numeris ac pedibus vinxére verba, ſapientiæque myſteria jucundis fabularum involucris texére: quas admirata rudis illa antiquitas, & ſuavitate cantuum irretita, traducendam ſe ex agreſti ac ferinâ ad mitiorem cultioremque vitam permiſit. Alii tacentem Poeſin, pictas nempe rerum imagines, offundebant oculis, quæ eos ſcita paſcerent figurâ, & ſimul animum occuparent: facillima docendi ratione, quum magnam mens noſtra capiat voluptatem ex imitatione, cui pingendi ars incrementa ſua debet. In horum numero primi ſunt memorandi Ægyptii, veterum mortalium

ſapientiſſimi, qui civilis prudentiæ myſteria, religioniſque arcana hieroglyphicis adumbrabant notis, ſimulque à profanorum oculis & contactu ſubmovebant. Quos imitatus Pythagoras literæ uni, & numeris inhæſit, omnemque ſapientiam facili hoc figurarum ambitu concluſit. At Æſopus apertiorem etiam ingreſſus viam, brutorum imaginibus demonſtravit, quid ſædum exitu, quid pulchrum inceptu, Tibi Tuæque Reipublicæ foret. Neque heic ſilenda Cebetis Socratici tabula, quam qui totius Sapientiæ inſtar, & magiſtram dixit, omnium optimè de literis veterum judicavit. Atque in his ſimilibuſque figuris Sapientes docent, & non loquuntur, quum imagines ſunt, quod verba, quæ alii aut magno laterum

rum nisu eructant, aut inani tumore, & vanissimo sententiarum strepitu, perituris chartis fastidiosè illinunt. Nec sanè hoc modò minùs promptè respondit Tarquinius filio, quum summa papaverum capita in horto virgula decuteret, quàm Cæstius aliquis, aut Antisthenes, qui, ne tuam, magnique fortunam populi in ruinam agas, interficiendos esse civitatis Principes, prolixis declamationibus, gravibusque argumentis adhortantur. Et vel una illa Athenienſium noctua, aut Thebanorum Sphynx, aut Romanorum aquila, suis expressa symbolis, satis docent, qua vigilantia, qua prudentia, quave fortitudine administranda sit Respublica, quæ beatam civium vitam, gloriam amplam, virtu-

tem honeſtam ſibi propoſuit. Cæterùm ejuſmodi Sapientiam adornamus potiſſimùm in Emblematibus, quæ Symbolô ingeniosè excogitatô, picturâ conveniente, & lemmate arguto, mores hominum, virtutes, fortunam, vitamque ipſam exprimunt, & velut in illuſtri poſita monumento, docent ſimul & oblectant. In quo Sapientiæ genere, quum tantopere ab antiquis deſudatum eſſet, tum nuperi ſeculi felicitas, renaſcentibus literis, elegantiſſima quæque ingenia exercuit, quæ Principum Heroumque ingentes motus, illuſtres amores, ſumma conſilia, ipſaſque regnandi artes, hac arte adumbrârunt. Quin tanta hujus ſtudii habita eſt excellentia, ut ipſorum Regum Principumque adverte-

ret

ret ingenia, quum volupe esset, paucissimis verbis, & unica exponere figura, quæ animum versarent ingentia consilia, quæ egregia virtutis flamma in pectoribus sederet, quæ præclaræ cupiditates agitarent mentem, aut quo præclaro judiciô fortunam ipsi suam, sortemque alienam metirentur. Ut non sinè causa, qui oculos in hæc insignia deflectit monumenta, ipsa Emblemata jure vocaverit picturam Heroum, imaginem illustrium animarum, Historiam ingentium consiliorum: quæ etsi indoctos ac rudes fallant, ingenuis tamen eruditos artibus haud prætereunt. Et quid tam jucundum cognitu atque visu, quàm simplex illud, & argutum, & paucissimis contentum verbis, & aper-

tis rerum imaginibus decorum philoſophandi genus? quod inter cunctos excellentioris ingenii labores ſimplicitate perfectiſſimâ ſe commendat, & in brevitate concinna eximium vigorem, in exiguo ſpatio maximas vires, in tacente imagine copioſam orationem oſtendit. Itaque, quum Poëma poſtulet voces à plebe ſubmotas, & per ambages, deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum præcipitari gaudeat: quum Hiſtoria per prolixam rerum narrationem, accuratam negotiorum ſeriem, interjecta orationum diverticula diffundatur: Emblema unô momentô, primo intuitu, imagine ſimplici & nudâ clariſſimas & maximas res repræſentat, tantoque majorem ſibi cir-

circumponit gloriam, quantò facilius simpliciùsque se exhibet. Neque tamen hac ipsà simplicitate obvium est vulgaribus ingeniis, aut inventu factuque facile; quum hunc ingenii partum neque concipere, neque edere mens possit, nisi ingenti flumine literarum inundata, *ut Arbiter loquitur. Nam ut quis ambigua litium fata, & perplexa atque intorta legum oracula explicet, aut adversùs mortis imperium pugnans, morbos medica manu profliget, & inexorata Parcarum claustra perfringat; satis est, si uterque se illis contineat finibus terminisque, qui Jurisprudentiam & Medicinam certo ambitu circumscribuut. At, ut justum exstruat Emblema, omne genus disciplinarum*

artiumque excutiendum eſt, natura hominis, animalium, plantarum cognoſcenda, & ipſum terris abditum Naturæ imperium ſcrutandum eſt: præterea ingenium adhibendum eſt generoſum & fœcundum, quod tum ad concipiendas animo rerum imagines, tum ad ea, quæ conceperit, vivâ expreſſione, & applicatione minimè vulgari efferenda valeat: nec figura modò, ſed & lemmatis acumen, ſed totius corporis gratia venereſque perpendendæ ſunt, quum ſæpius una vocula, una figuræ labes, omnem Emblematis nitorem infuſcet. Non heic ago, ut Emblematum antiquitatem, uſumque, & dignitatem oſtendam, quum id à clariſſimis viris operosè jam factitatum ſit, ſed refel-

lenda

lenda solùm obiter sunt inepta eorum & cruda judicia, qui quæstuosis tantùm artibus dediti, & ab omni elegantioris ingenii humanitate alieni, leve quiddam & vulgare esse Emblema arbitrantur. Nimirum ea seculi nostri infelicitas est, ut pessimo utamur judice, id est, vulgô, cui semper deteriora placent: evenitque nobis, quod olim Athenis Anacharsis mirabatur, ut sapientes orent, stultissimi judicent. Dicendum tamen illis est, quod sentio: Vix centesimus quisque est, qui justum atque probum Emblema componat: at vix millesimus, quisque est, qui de eo rectum verumque ferre judicium possit. Sed horum procax ignorantia, sicut PHILOTHEUM, *Virum Summum, non absterruit*

sterruit, quò minùs, quoties ab altissimæ fortunæ meditamentis ad diverticula amœnioris ingenii secedere libuit, divinum ingenium in hoc Sapientiæ genere exerceret; ita me perpulit magis, & inflammavit, ut cælestes illos ingenii lusus in publicum proferre, ambitiosô studiô contenderim. Postquam enim iste sanctissima hæc Symbola, doctissimis explicata commentariis, mihi communicâsset, sollicitavi precibus modestiam ejus, & tandem expugnavi, ne clarissimum opus invideret erudito orbi, tantoque munere posteritatis spem defraudaret. Delectabat me illa ingeniosissima inventio, acuminis & solertiæ plena; in qua nec ornatui facilitatem, nec facilitati ornatum deesse animadvertebam.

vertebam. Ac quum alii plerumque Civilem Prudentiam, arcanis dominationum venerandam, majore audaciâ, quàm veritate, Emblematibus intexant, aut vanos amores, profusasque cupiditates illis celebrent; ea inprimis Philothei placebat pietas, quòd sancto & inusitato ante cæteros conatu, hoc sapientiæ genus ad sanctiores meditationes transferret, cœloque suo intentus, vitam Christiani hominis moresque emendaret. Quid enim est aut tam eximium & arduum, quàm Religionis nostræ gravitatem, pietatis præcepta, Theologiæ sanctioris momenta, amœnissimis Symbolorum lusibus explicari? aut tam admirabile, quàm inter summæ fortunæ blandimenta, & ætatis floreſcentis illecebras

cebras exiſtere unum, qui pietatem caſtiſſimam animô complexus, totam fortunæ rationem ſubducat, & mortalium ſceleri iniquus, ad ſanctioris vitæ contemplationem ſincerâ ſolidaque mente ſe convertat? qui inanes hominum curas, cogitationeſque à terræ ſuæ ſordibus, & incertis fortunæ bonis ad quietem mentis, & amorem divinum revocet; eamque demum felicitatem ac ſupremum illud bonum judicet, non quod in opibus, honoribus, purpura ac ſceptro conſiſtit, ſed quod propiùs mentem noſtram conjungit Deo, caſtamque & illibatam conſcientiam cœlo imponit? Quæ quum primùm legerem, cœleſtem aliquem mihi intueri genium viſus ſum, qui inferiora hæc, in quibus volutamur miſeri, ſuper-

ſupergreſſus ſe totum cælo ſuo tradit, & quum maxima mortalium pars terrenis luctetur votis, ſperandoque & optando conſeneſcat, ſolus nihil præter animi tranquillitatem optat, cætera Deo committit. Haud ſum neſcius, fore nonnullos, qui hæc tantùm ſacra relinquenda cenſeant illis, quorum munus eſt, ut ex publicis roſtris in vitia hominum declament; cæterùm ab venuſtioribus elegantioribuſque ingeniis exſpectent, ut Politicis meditationibus impalleſcant, providis præceptis artes regnandi definiant, & quo vinculo, quo ſpiritu cohæreat Reſpublica, quo ſe diſſolvat, ſubtiliter enuncient. Perinde ac ſi in magna illa Dei civitate, in qua tot millia hominum ſpiritum trahimus,

non

non præcipuum & unicuique maximum munus incumbat, ut vitæ probæ, æternæque salutis leges sibi aliisque ponat? aut non satis Politicorum librorum sit, quum & Magistelli, & in umbra latentes Pædagogi, à ferula crudum ingenium ad Civilis prudentiæ mysteria, ad Principum Regumque determinanda consilia, longè ab eorum captu submota, audacissimâ curiositate propellant? Sed & mihi in hoc castissimo opere magnam præbebat voluptatem tersa illa atque ornata dictio, quam ad interpretandas imagines has pulcherrimas Auctor attulit; in qua me detinebat liquida ac profluens, & in nullas obscuritatis salebras incidens Eloquentiæ copia, in qua naturalis, non fucatus nitor inest. Ac

admi-

admirabili illa ſuavitate puritate-
que ſermonis recreatus, ſentiebam
mihi tenerius obſequium addi, ut
piæ ac divinæ mentis dotes in Phi-
lotheo venerarer; præſertim quum
non tardis lucubrationibus, longoque
tempore proceſſiſſet hoc orationis flu-
men, ſed inexhauſto quodam & ra-
pido fonte celeriter proſiliiſſet; ut &
ipſe citiùs manum ſcribendo, quàm
ingenium excogitando inveniendoque,
fatigatum fateretur. Quod pariter
fortaſſe æſtimabunt parùm ſtudiorum
noſtrorum contemptores, qui, quòd
linguæ Latinæ paulò exactiori cog-
nitione careant, eo ſe doctiores &
meliores haberi volunt. At nec mo-
ramur ambitioſam eorum ſtultitiam,

quum

quum & eam ſeculi noſtri eſſe conſuetudinem ſciamus, ut ii plurimùm de Latina lingua judicent, qui malè, ne dicam peſſimè Latinè loquuntur; & facilè illis eam indulgeamus gloriam, ut cum Mileſiarum auctore rudant, aut cum alio duriore ſaxa & lapides loquantur, aut elumbi ac diſcincto ſermone balbutiant, quám ut puram, atque majeſtatis ſuæ pondere ſuffultam orationem ad veterum Scriptorum elegantiam exigant. Mihi quidem facultatem eam eſſe præbitam vehementer gaudeo, quâ ex doctiſſimis his Symbolis, eorumque commentariis exſtruere licuit carmen, quod tàm pulchro operi ſubjunctum, ſimul ad æternitatem ſuam

caneſce-

caneſceret. Ita enim de hoc clariſſimo Philothei monumento augurari lubet, illud omni ære perennius fore: dum & olim poſteri linguas in Magni Auctoris laudes ſolvent, & animos in exemplum component, & illum rerum ac verborum ſplendorem, illam dignitatem ſermonis, illos cæleſtes impetus, & tot auguſtas ſententias, tot virtutis præcepta, tot oracula, admirari geſtient. Ac quamvis ipſe in tanto culmine collocatus, noſtri haud indignus ſit præconii: quamvis ſingulari modeſtiâ præditus, fortunæ ſuæ magnitudinem, ingeniique gloriam tegat; hæc tamen vitæ ſanctitas, hæc erudita pietas, hi mores caſtiſſimi, hic inuſitatus virtutum omnium fulgor, oſten-

oſtendent illum, & poſterorum ingenia laudibus ejus fatigabunt. Sed & hæ virtutes, dum præſentis ſeculi venerationem intendunt, dum alii quoque tantas inter laudes, illum tot Regum ac Principum ſanguinem, illum ſerenæ frontis honorem, illam placidi oris majeſtatem, & obviam omnibus humanitatem extollunt, atque ad ſidera plauſu vocant, iſte præ cunctis unam illam & peculiarem ſibi adſcribit laudem, quòd fragilitatis humanæ conſcius, Deo ſuo omnem gloriam, vitæque ſuæ reddat ornamenta, & in publicæ munificentiæ præconio pietatem ſuam agnoſcat. Scribebam Heidelbergæ ad Kal. April. An. MDCLXXVII.

SYMBOLUM I.

ILLE HABEAT SERVETQUE.

VEteres Romani, quum se æternitati consecrâssent, nomen illi dedére Vestæ, in cujus sacrificio cultuque perpetuum ignem conservârunt. Nimirum hoc agebant homines fortissimi, ut per lucentem flammam ostenderetur imago immortalitatis, cui se devoverent,

quos virtutis amor ex vitiorum sordibus, ex ignaviæ vinculis ad res præclaras glorioſaſque incitâſſet. Nobis Chriſtianis, qui ſanctioris immortalitatis cognitionem accepimus, longè majori ſtudio incumbit, illi nos devovere æternitati, quæ non ſolùm ad honeſtam vitæ noſtræ famam, ſed ad eam potiſſimùm felicitatem nos ducat, quâ tandem animus, corpore relicto, glorioſam inter quietem, ſempiterno gaudio fruitur. Quæ demum æternitatis ſors perfectiſſima dicenda eſt, dum heic nos indies confuſa cupiditatum turba mox ad veſanam iracundiam, mox ad intempeſtivum gaudium, mox ad ſtolidum deducit timoris dolorem, ut continuo motu direpti à quiete, non ſentiamus vitæ noſtræ dulcedinem. Et quanquam fieri poſſit, ineſſe aliquam lætitiæ noſtræ conſtantiorem vim, tamen in omnibus perituris rebus nulla eſt exſpectanda perpetuitas, in quam ſolidâ ſpe incumbere poſſimus. Sed vera æternitas in Deo immortali eſt, qui nos invalidiſſimos homines, ſi illi nos devoverimus, conſtanti beat gaudio, inſigniqueillo fidei pignore per Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum erigit, ut nunc ejus gratiâ freti, validiſſimam immortalitatis ſpem capeſſamus. Fruſtrà autem

tem se putant consecrâsse Deo, qui externis tantùm ritibus adhærent cultui illius, & morosâ severâque pietate affligunt corpus, ut æternùm in animis linguisque hominum sedeant. Etenim sincerum ipse tantùm à nobis exspectat pectus, cor cupit integrum, devotum, pium, quod castissimo amoris, fidei, sanctitatis igni flagrat. Hoc *ille habeat servetque sibi*, hoc nostrum admittat sacrificium, quo sinceram pietatis voluntatem dedicamus, & æternitatem ambimus nullâ unquam mutatione turbandam.

Non mea Pyramides commendent nomina vastæ,
Insanaque ferant nostra tropæa strues.
Hæc longinqua potest, & edax abolere vetustas,
Hæc effuso Auster diruit imbre ferox.
Sed mens æternis caleat pulcherrima flammis,
Et casto flagret laudis amore sacræ.
Perpetuum quid, Vesta, tuum jactaveris ignem?
Hoc magnus nostro gliscit in igne DEVS.

(O)

Haud mea mens agitur torrente libidinis æstu,
Nec sitit has vanas, quas sitit orbis opes.
Altiùs it pia mens, & se cælestibus infert,
Et super has nubes plena caloris abit.
Mens mea divinos intra se concipit ignes,
Et sitit æternum concita tota Deum.
Impia terrenis ardescant pectora curis:
Nil moror has sordes, me pius urit amor.

SECURA SUIS RADICIBUS.

ANimus Deo suo devotus, firmâ atque constanti spe exspectat felicem corporis sui redemptionem, & neque fluxis deliquescit gaudiis, neque vitæ periculis trepidus succumbit. Sui securus ad ea adspirat, quæ pertinent ad promovendum gloriæ divinæ nomen: nec movetur illis insultibus, quibus orbis pravitati suæ immersus conatur impedire & seditiosè abstrahere pios, constantissimo fundamento insistentes. Alios leviſſimus turbo impellit, terræque suæ allidit, ut humi jacentes, se à Numine desertos relictosque ingemiscant; hunc tantò fortiùs res adversæ erigunt, & cælo admovent, quantò vehementiùs imminent, & insontem quatiunt. Tanta animi virtus est, ut agitatione istâ robur induat, & pectus imperterritâ constantiâ muniat. Non illum fortunæ sævientis rabies subvertit, ubi gravior incumbens calamitates, miserias, paupertatem objicit: altior enim in eo vis est, quæ cælesti animum robore confirmat, proximumque illud divinitatis largitur, *Non moveri*. Frustra hunc dira exagitat invidia, & scelerato

SYMBOLUM II.

lerato dente nomen ejus existimationemque sauciat: validior quippe omnibus stat calumniis, & in cælum suum intentus, inimica tela despicit. Non sic ventorum furorem eludit arbor, validas quæ egit radices, fibrisque fortiùs per terram divisis, ipsam stirpem robore armavit. Validiùs iste omnium tempestatum vigori

resistit, & quæ acerbitates in caput grassantur innoxium, Deo suo innixus, impavidè perfert. Dum vivit, continuâ nutritur spe; dum moritur, aufert spem quies exoptatæ felicitatis, & verissima omnium fortunarum vita, in æternum duratura.

Verberet oppositos montes, sylvasque procerus,
Hadriacisque equitet savior Auster aquis:
Hæc secura suis radicibus excipit auras,
Et frustrà tanta detonuére mina.
Scilicet hæc validis terram complectitur arbor
Fibris, & gaudet sedibus alta suis.
Quid savis, Fortuna? Deo qui nititur uni,
Impavidus furias ridet, acerba, tuas.

(○)

Dum furit effusis violentior Aeolus austris,
En virgulta sibi deteriora timent.
Sed firmata suis perstans radicibus arbor,
Excipit atroces, si fremuére, notos.
Illa suo defixa loco non flectitur Euro,
Non timet, unda, tuas, nec timet, aura, minas.
Mens innixa Deo pavidam minitante ruinam
Orbe, nihil quicquam, quod moveatur, habet.

SYMB. III.

SYMBOLUM III.

CÆTERA LINQUO.

QUid juvat maximas possidere divitias, & nefando avaritiæ laborare cruciatu? Quid juvat regiis fulgere sceptris, imperiique fasci-bus magnam terrarum gubernare partem; & interea insatiabili cupiditate ad aliorum adspi-

rare opes, & semper inquieto potentiæ suæ metu lacerari? Forsan magnificum elatæ dignitatis nomen quadraginta durabit annos, ut in omni pompâ, atque externo splendore dies regiminis sui transigat. At ubi affectus ille invidiæ plenus tempora sua consumsit, tunc sæpius talis animus suâ magnificentiâ inflatus, invitissimo motu ea relinquit, quæ tam ardentissimo amore possedit. Sic nihil præter Fortunæ suæ deam adorans, tandem spem incisam luget, perpetuoque doloris cruciatu memoriam tristem servat. Nimirum inconstantissimæ hujus vitæ opibus fortunæque nihil inest felicitatis aut perpetuæ dulcedinis, dum optima animi nostri quies vitiorum amore oppressa, illis turbatur rebus, quibus & virtutis stimulus extinguitur, & avaritiæ fames perniciosissimo fervore acuitur. At indignum illis inservire rebus, quæ ingenium à justâ virtute, solidioriſque vitæ pulchritudine abducunt, atque hominem perituris opibus, tandem magnâ anxietate deserendis, pudendo servitio devinciunt. Immortalis autem vigor est, qui spiritus nostros constanti bonorum gaudio recreat: immortalis hilaritas est, quæ suo admota cælo, clarissimè ostendit, fluxam illius

vitæ

vitæ fortunam, cum inæstimabili felicitatis suæ pretio comparari minimè posse. Illic enim insatiabilis habendi capiendique aviditas novo semper animum corrumpit vitio: heic validissimus divinæ gratiæ stimulus ad virtutem propellit. Illic frequentissima divitiarum copia, opumque terrestrium confluxus horrorem mortis augent, pessimoque timore famam nominis dejiciunt: heic firmissimâ in Deum corroborati confidentiâ, singulos tempestatum ictus intrepidè excipimus, extremosque vitæ dies gaudenti spe exspectamus. Illic fallax tandem fortuna nos frustratur, deceptosque ludit; heic certissimum Divinæ promissionis auxilium nos perpetuâ mactat felicitate, ut dici possimus, *grato servisse patrono*. Ergo quisquis divitiis auctus est, quisquis regna administrat, non animi sui requiem, non confidentiam in illis ponat, sed ad Deum unicè dirigat desideria sua, in eo felicitatem, ac tranquillitatem mentis suæ omnem collocet. Tunc si divinæ visum erit voluntati, ut omnibus spolietur divitiis & fortunis, omnia feret patienti animo, terrestriumque amorem rerum linquet, gavisus redimisse frontem cælesti illâ æternâque coronâ, quæ omnibus

sceptris, fascibus, divitiis illustrior potiorque est.

Sceptra tremenda alii jactent, pompâque superbâ
Regia adoratum purpura calcet ebur:
Et formidatis compescant fascibus orbem,
Commendetque sacrum fulva corona caput.
Me majora juvant. Non est mortale, quod opto;
Nec meus in fragili luditur orbe labos.
Mens sincera, Deo devota, atque addita calo,
Ha sunt, quas jacto relligiosus, opes.
Dum fasces trabeaque cadunt, dum sceptra labascunt,
Hoc sacrum athereo durat in igne decus.

SYMBOLUM IV.

INDE ET VITA ET VIRTUS.

FOrtitudo, quæ meritò inter primos virtutum ordines locum habet, tunc clarissimâ laude fulget, ubi sanctissimis continentiæ, probitatis, modestiæ vinculis ligata, Heroum incendit animos, ut ad immortalem nominis sui famam quotidie adspirantes, & maximos

labores suscipiant, & summa pericula contemnant. Unde Majorum nostrorum res gestæ laudibus fuerunt inclytæ, quòd fortitudine usi sint, non ut fortunæ suæ augerent magnificentiam, sed ut egregiam transigerent vitam, virtute excellentem, quæ posteris exemplo & admirationi esset. Atque hi quidem jucundè atque feliciter suos transegére dies, nobilique illâ & puriſſimâ obtinuére fortitudine, ut per omnium seculorum memoriam celebrentur. Sed cæteri, qui ab hac pulcherrimâ ambitione vires corporis animique semoverunt, & intemperanti audaciâ, aut indignâ intumescentes superbiâ ad crudelitatem desciverunt, suum extinxére nomen, & virtutem vitio delevére. Ex quo apparet, justam veramque fortitudinem in nostris haud contineri posse pectoribus, nisi à longè validiori potestate dirigatur. Nunquam generosissima vitis in maturos se solvit fructus, qui suaviſſimo gustu hominem recreent, nisi ferventi Sole inflammetur atque foveatur. Pariter & fortitudo, & omnes cæteræ virtutes ex solâ divinâ gratiâ originem vigoremque ducunt, quâ absente virtutes optimæ in pessima degenerant vitia; nosque ipsi densâ occæcati caligine stolidiſſi-

lidissimè erramus, atque indies magis magisque vitam flagitiis inquinamus. Et quanquam nostra sit manus, nostrumque ingenium, quæ ea exequuntur, quæ aggredimur, tamen non nostris illa debentur viribus, sed Numinis illius auxilio, quod nos creavit, & omnibus rebus interest, ut ad gloriam ejus, & nostram salutem gerantur. Idem illis, qui suis confidunt viribus, Deum se ostendit potentissimum, justissimumque omnis insolentiæ ultorem. Attribuamus ergo omnem illi gloriam, attribuamus ejus gratiæ omnem nostram vitam atque fortunam, & quod laudibus in nobis magnificum est, ipsius benignitati reddamus. Neque enim unquam nostris excidat pectoribus, quòd nos miserrimos mortales tanto respexerit beneficio, ut quum infirmi debilesque in miseriis jaceremus, & vitam & virtutem ab eo receperimus.

Nectareas vitis cum tempore procreat uvas,
Si nitidus roseo Phœbus ab axe micat.
Uva parit dulces, sed Sole coquente, liquores,
Qui recreant homines, qui recreantque Deos.
Sed cessent radii Solis, lux aurea cesset,
Nullus erit Bacchus, frigida vitis erit.
Si Deus illustrat animos cælestibus auris,
Quisque bonos fructus, hoc generante, ferat.
Quid jactas propria validissima robora dextra?
Qui vigor ascessit, calitùs ille venit.

RE-

RESISTENDO FRANGOR.

UBi minora obsistere gaudent potentissimis, semper justissimam sibi pœnam attrahunt. Altissimæ columnæ, dum veluti superbâ duritate adversus tempestatem incolumes se ostendunt, fulmine fortissimo percussæ franguntur atque miserrimè dejiciuntur. Ex adverso arundo dum tempestati cedit, dum caput flectit, illæsa ad statum suum incolumisque mox revertitur. Quò magis curandum homini est, ne ei resistat, qui & fulgura, & omnes in potestate habet vindictæ modos, quibus affligere humanum potest genus, si suum divinæ anteponit voluntati consilium, & Numini majori cedere nescit. In quo numero sunt, qui se ipsos colunt, negligendo divinæ venerationi debitum honorem, jaciendoque infames jocos & dicteria, ut pariter pios adversùs Deum, ejusque metum arment. Hi videant, ne vindicta divina lento gradu procedens audaces tandem corripiat,

SYMBOLUM V.

piat, & damnationis percutiat fulmine, in æternum periculosissimo.

Dam-

Dum tonat horrendis agitatus motibus æther,
Et sua terribilis Iupiter arma quatit:
Fulgura despiciunt solidam violenta columnam,
Et mediam rigido fulminis igne secant.
Ast alibi virgulta manent secura per agros,
Quaque suum flectit mollis arundo caput.
Illa resistendo ruit, hæc cedendo resurgunt,
Nullaque supplicii signa prioris habent.
Fulminis auctor idem facit. Ille superba retundit
Pectora, depressis gratia certa datur.



Marmore de Pario surgit, frontemque superbam
Obvertit cælo celsa columna suo.
Excipit intrepido vultu nimbosque niveisque,
Et sibi perpetuum destinat alta decus:
Sed Iovis ira ferum jaculata è nubibus ignem,
Dejicit audacis robora vasta struis.
Cedite majori, mortales. Fulmina vitat,
Quæ pronum inflectit mollis arundo caput.

SYMBOLUM VI.

NON INDE QUIETEM.

OMnes ii, qui suo se jactant ingenio, & propriis tantùm confidunt viribus, similes sunt grandioribus avibus, quæ quietem in fragili quærunt arundine, & onere præ-

pon-

ponderantes concidunt. Quisquis impietate suâ ferox & intumescens, non agnoscit verissimum fortunæ suæ auctorem arbitrumque Deum, sed omnia putat sibi casu accidisse, suumque judicium solâ atque propriâ acuisse indole atque diligentiâ; iste dum in eâ hæret sententiâ, suo tandem damno cognoscet, se pravo debilique innixum sedisse fulcro, *nec inde quietem* exspectandam fuisse. Vidimus fortissimos sapientissimosque viros hoc modo lapsos fuisse: nam isti, dum inflati superbiâ, dextræ suæ virtutem extulére, tandem infami metu correpti, inglorii occubuérunt: hi dum solo suo ingenio intemperanter gavisi, & judicii laudibus freti fuére, tandem cum insaniâ utriusque amisére existimationem, quam veluti Deam priùs coluerant. Ut igitur stabiliorem Tibi quietem compares, intende animum oculosque in cælum, & fortissimum fulcrum arbitrare veram pietatem, omnium virtutum clarissimam. Absque eâ cæteras virtutes video tantùm pro externo ornamento censendas: quippe nunquam ex justâ pectoris prodibunt integritate, sed ex internâ manantes superbiâ, suas tantùm intendent laudes, & in fragili gloriâ decus omne consument.

Sed

Sed optima rerum, dum non ad verum destinantur finem, nunquam glorioso felicique nobilitantur eventu: dumque ipsi mortales hac viâ propositum promovere suum satagunt, ignavâ correpti confusione, omnia infelici atque pudendo exitu fœdari animadvertunt. Itaque quum cætera omnia veluti fumus evanescant inconstantiâ suâ, animus noster aliam quietem postulat, quâ ad lætitiæ constantiam, ad rerum suarum felicissimos eventus contineatur. Quæ quidem quies à solâ Dei gratiâ exspectanda est, ipseque devotissimo invocandus pectore, ut ei firmiter nostrâ fide adhærentes, nostram quotidie accusemus infirmitatem, omnemque tranquillitatis constantiam, omne nostrum robur in ipso solo collocemus.

Dum fidit fragili volucris temeraria junco,
Frangitur, & dubios fallit arundo pedes.
Qui petis in fragili placidam tellure quietem,
Falleris, & mentem noxius error habet.
Et quid, stulte, homini confidis? fidere cælo
Convenit, & summo qui regit astra DEO.
Sæpius innumeros heic spes humana fefellit:
Decepit nullum spesque fidesque DEI.

DUM

DUM SPLENDET, ET OMNIA SPLENDENT.

NOn peccabo, si gratiam divinam comparem candelæ, quæ dum suum noctu in conclave immittit lumen, omnia illustrat, & splendentia reddit, quæ ad ornatum peristromata stragulaque auro intexta parietes vestiunt. Eâ autem absente, quanquam pretiosissimo auro atque argento omnia obducta, atque ornata sint, in caligine omnis splendor jacet, nec cognosci potest decus, quod ad loci hujus ornamentum pertinet. Haud aliter, ubi gratia divina nobis affulget, omnia in nostris actionibus splendent, & decus nobis lætitiamque ex illâ benignitate communicant. Sed ubi dignissimum nobis aufert sui auxilii vultum, tum veluti nocte & tenebris sepulti, nullam magis cognoscimus jucundis in rebus inesse dulcedinem, inquietoque dolore anxii, agnoscimus præsentiam divini Numinis unicum vitæ nostræ esse solatium, sine quo nihil nobis amœnum, sed cuncta videntur mortua, quæ aliàs maximo prosequuti fuimus amore. Midas, Phrygiæ Rex, auro suo, quod stolidis votis ambierat, frui non potuit, quum inter ejus adspectum fame

SYMBOLUM VII.

fame fermè extingueretur. Sic nobis exploratum eſt, omnem rerum benedictionem ex unicâ proſilire divinæ benignitatis propinquitate, ſine quâ & optimarum rerum vitalis exuitur guſtus. Ac quamvis ſalva omnia & jucunda externo cernantur vultu, tamen animus

mus ſuo veriſſimo gaudio orbatus luget, & nunquam reficitur, niſi gratiæ divinæ radiis illuminatus, ſua gaudia ſecum computet, & ſponte omnia fluere ſentiat.

Omnibus eripuit rebus nox atra colorem,
Nullaque ſemotâ corpora luce micant.
Sed refer ardentes intra conclavia ceras,
Omnibus ecce redit, qui fuit ante color.
Tunc Phrygii ſplendent, picturatique tapetes,
Et clarum ſplendens, quo caruere, decus.
Nos tenebræ ſumus, & piceâ caligine tecti,
Vndique & ex nobis gratia nulla micat.
Sed mihi dū ſplendet tua lux, Deus, omnia ſplendent:
Hinc lux grata mihi, vitaque grata venit,

SYMBOLUM VIII.

ILLUSTRAT QUOQUE VILIA

QUid nobis miſerrimis mortalibus de noſtrâ cenſendum eſt virtute, quam ex nobilitate aut fortunâ magnâ arceſſimus? Sanè abſente Deo gloria illa omnis velut fumus evaneſcit, animus dejicitur, omneſque vigoris

ſti-

stimuli se clanculùm auferunt, ut nil nisi vacuum remaneat corpus, quod malis repletum cupiditatibus, vitiisque onustum, maximo deinceps damno suo ruit ad perniciem. Et Sol quidem viliſſimos illustrat serpentes, ut pulcherrimo micantes colore, auri gemmarumque ornatum adumbrent. At cur Deus Opt. Max. ex minimis ac viliſſimis mortalium non quosdam eâdem facilitate posset extollere, insignibusque decorare donis, quàm illos, qui alto loco nati, jam à teneris ingenium studiis aliisque nobilioribus exercitiis imbuerunt? Quin sæpius animadvertimus, Deum efficere id, ut ex plebeis sive miserrimis hominibus aliqui inveniantur, qui majoribus inclyti cælestibus donis, virtute ad summum fastigium evehantur. Ita *illustrat ille quoque vilia*, ut gloria ejus digniſſimo magis applausu ab omnibus extollatur, & amoris misericordiæque immensa vis in prosequendo genere humano celebretur.

Non solùm illustrat Phœbi præsentia cedros,
Et quæcunque oculis sunt speciosa tuis.
Sed quoque vermiculi viles, & noxius anguis,
Inde suam vitam, Sole micante, trahunt.
Sol commune bonum: quod se diffundit in omnes
Seque suâ cunctis commoditate probat.
Quanta Dei bonitas! qua totum laudibus orbem
Implet, & hoc mundo major in astra redit.
Quid genus & proavos jactas, titulosque superbos?
Et magis illustrat vilia sæpe Deus.

(o)

Quale addit gemmis splendor decus, aut ubi flavo
Auro candidulum dextera jungit ebur;
Talis Sole micat, claraque in luce refulget,
Qui serpit nudâ vilior anguis humo:
Pictaque convolvit radiato pectore terga,
Auratusque notat vilia membra color.
Ne, pueri, titulis, ne formâ insurgite vestrâ!
Quem Deus irradiat, pulchrior ille micat.

SUSTENTAT.

GRatia divina, quæ mortale sustentat genus, potissimùm validissimo suo adesse cernitur auxilio, ubi aut bellorum aut itinerum quotidiano periculo immistos homines servat, & sospites incolumesque ab ullo vulnere, clade, morbo domum reducit. Hi custodiuntur instar globuli illius, qui ex artificioso fontis vase prosiliens, aquâ sustentatur, donec ipsâ in suum recurrente antrum, in priorem restituatur locum, ex quo proruperat. Ac tali quidem ducuntur modo, qui Deo constanti atque sincerâ adhærebunt pietate, ejusque tutelæ se totos devovebunt. Quòd si fortè aliqua illos violaverit calamitas, & exiguo illa tempore gravis incumbet, & perterritos mœrore magis eriget, dum præsenti relevati subsidio, multò fervidiori constantiâ in fide perseverabunt, seque nunquam totos deseri à Deo lætabuntur. Et quanquam illi interdum præmaturâ tollantur morte, aut ægritudinis lentâ tabe exstinguantur, non tamen deserti relictique à Numine suo dicendi sunt, quum ab in-

stabili

SYMBOLUM IX.

labili fortunâ ad constantem transeant gaudiorum perfectionem, gaudeantque se dignissimâ recreari quiete, ab omni miseriâ liberati.

Subsiliunt tumidæ venis pellentibus undæ,
Sustentantque vagum, ne cadat inde, globum.
Par mea sors tecum est, globe. Nam me turbine sæv
Iactat in irato vasta procella mari.
Me diro exagitant collecta pericula motu,
Inque meum hostilis fulminat ira caput.
Et tamen in tantis sustentor casibus insons,
Nec vita patior tristia damna meæ.
Quid timeam? Deus alme, tuo sto robore salvus:
Quem tua sustentat dextera, nemo cadit.

(O)

Mobilis in medio fluitat globus aëre pendens,
Sursus & elatis innatat altus aquis.
Res miranda. Globus medio natat æthere præceps
Nec cadit in terram, ni cadat unda prius.
Quid loquor? in medio sic aëre fluctuat orbis,
Et tellus medias sic natat inter aquas.
Non cadit atque loco cedit. Deus omne gubernat
Conservatque suum, quod bene fecit, opus.

SYMBOLUM X.

SE IPSUM TERRITUS HORRET.

MUlti inveniuntur, qui fictâ suâ pietate gloriantur, seque sanctissimos omnium mortalium esse putant: sed ubi tandem Legis divinæ justissimas inspiciunt tabulas,

ipsi invenient, pietatem suam maximis fœdatam esse vitiis, prædominantesque pravitatis suæ cupiditates impuro afflatu omnia commaculâsse. Fertur Basiliscus speculum inspiciens reverberantibus oculorum radiis statim extingui, suoque necari vultu, cujus tetrum luridumque adspectum ferre ipse haud possit. Similiter ii, qui superbâ inflati sunt pietate, dum sacram Scripturam legunt, inveniunt se arrogantiâ infectos, horrentque se ipsos, quòd viis imminere mortis, & longissimè à vero Dei cultu abesse se agnoscant. Neque enim Deus Opt. Max. vult, ut nos nobis ipsis nostrâ placeamus devotione, quum nec ipse Mundi Salvator unquam suam extulerit pietatem, quæ tamen absolutissimæ perfectionis, sanctitatisque integerrimæ plenissima erat. At nos omnes miseri, debilesque sumus; & dum indies peccamus, ac iis quidem insuescimus delictis, à quibus facillimè cavere potuissemus, quæ tandem nostra gloria coram omniscio Judice erit? Valde igitur necessarium est, ut Deo soli sinamus esse judicium æstimationemque nostræ pietatis, nosque humiliter eidem subjicientes, & impuritatem agnoscentes nostram, criminum nostro-

noſtrorum veniam precemur, ut ille indies noſtræ velit adeſſe imbecillitati, ne in graviora incidamus ſcelera, mortem æternam ſecum trahentia.

Terretur propriæ Baſiliſcus imagine formæ,
Objecto ſpeculo ſi ſua membra videt.
Tunc oculis in ſe funeſtâ luce retortis
Mœret, & adſpectu contremit ipſe ſuo.
Si peccator homo ſecum ſua crimina luſtrat,
Proponens oculis Biblia ſancta ſuis.
Tunc ſeſe in ſpeculo divini Codicis horret,
Et tremit adſpectu territus inde ſuo.
Et mortalis homo, Tibi cauſa ſat apta dolendi!
Sunt tua fœda Tibi crimina, fœda Deo.

ORIENTEM FUGIUNT.

ETsi humana eò usque creverit astutia atque malignitas, ut & plurima scelera atque mendacia externo constantiæ vultu exprimere, & simulatâ aliquâ sinceritate venenum pravitatis suæ absondere mortales didicerint; tamen orientem semper veritatis horruére Solem, qui strenuus occultarum falsarumque artium hostis, non patitur internum sjungi ab externo, aut ullam injuriam probitate tegi. Est ipse sæviſſimus injustitiæ ultor, qui, quanquam diu permittit nocti, ut pessimas in tenebris machinationes, eo tempore undique errantes, sustineat, ad extremum tamen redeuntæ die fugat suâ pœnâ, quæ se caligine secura putabant. Sic per atram noctem micant minora sidera, & erraticæ faces, fallaceſque ignes cælum obsident: sed quæ mox *orientem fugiunt* Solem, ubi

SYMBOLUM XI.

ubi is è Thetydos cubili surgens, jubar suum toto cælo diffundit.

Iam fugite, & toto stellæ discedite cælo,
Et quodcunque micas nocte silente jubar.
Majori jam luce rubet, vultuque nitenti
Nocturnum pulcher pellit Apollo decus.
Tollit sylva comas, emergunt lumine colles,
Et valles viso subsilière die.
Triste micans cessit ferali crine cometes,
Et falsa solvunt se per inane faces.
Quid fuci, pravæque artes, simulatio, fraudes,
Tollitis improbulum nocte favente jubar?
Heu fugite hinc! Veri Sol aureus exserit ora,
Confunditque oculis lumina falsa suis.

(o)

Aurea si surgit croceis Aurora quadrigis,
Nubila cum tenebris nox procul inde fugit.
Hæc roseis invecta rotis pranuncia lucis
Omnia lustratâ sidera pellit humô.
Post totum lustrat pulsâ caligine cælum,
Et nobis nitidum reddit Apollo diem.
Luce sacrâ veniente, procul caligo recedit,
Et Christo Satanas adveniente fugit.

SYMBOLUM XII.

TACTA SONABUNT.

AT malo mea à potentissimo Numine conservari regique gaudia, quàm illis pro meo frui lubitu: nam ubi meâ voluntate illa dirigo ad promovendam vitæ meæ jucunditatem, nimis debili manu mota, neque læti-

tiæ constantiam, neque vitæ meæ commodissimum possunt afferre incrementum. Voluntas nostra, quanquam interdum bonum intendat finem, tamen præponderans internæ malitiæ vis, non permittit virtutis nos imminere viis, si solùm sponte nostrâ conamur efficere, quod debeat esse laude dignum. Sæpius ex nostrâ opinione, quæ nobis ad nostrum videantur usum atque hilaritatem promptiora, putamus confestim illis esse utendum, exequuturi eadem cum fervore, quum in nostris ardere cupiditatibus soleamus. Sed Deus, qui ipsa est sapientia, longè aliter destinat suam voluntatem, nostræque se tunc opponit: ostendens, se omnibus præesse rebus, nosque manu illius tangendos, si quid præclari à nobis edendum sit. Nos vanis immersi cupiditatibus, omnes nostras actiones eò intendimus, ut amœniori inserviant delectamento nostrorum affectuum: sed Deus est, qui internas hominum inspicit mentes, qui optimè novit, quæ ad veriſſimam vitæ nostræ proficiant salutem atque utilitatem. Quare quum omnia nostra vota actionesque ad summam collimare debeant perfectionem, si feliciſſimâ quiete cupiamus tandem affici, id necessum est, ne

per

per noſtras cupiditates ſtudeamus anticipare fatum, noſtriſque viribus inniſi, inviſum cælo opus faciamus, ſed ut noſtram Deo ſoli voluntatem committamus, qui eam ſuæ conformem reddat directioni, & noſtris ex operibus ſuam gloriam extollat. Simus adinſtar tympani, quod, ubi ille tetigerit, fortiori applaudat ſonitu, qui & nominis illius laudem latè celebret, & famæ noſtræ integritatem, animique veriſſimam gloriam cælo ipſi inferat.

Aenea dum tremulo pulſantur tympana motu,
Robuſtos referunt fortiter acta ſonos.
Sed ſimul ac nullis pulſantibus omnia ceſſant
Verbera, tum ceſſat, qui fuit ante tremor;
Nos quoque torpemus, nos vaſta ſilentia ſtringunt,
Ni moveat ſummus pectora noſtra Deus.
Hoc agitante bonos intra præcordia motus
Sentit homo, & ſenſim, ſed priùs actus, agit.
Magne mihi moveas, Deus, alimo numine mentem.
Sic quodcunque voles, ſed benè motus, agam.

ET IN VOLVENDO QUIESCO.

MOs compluribus Americæ populis est, ut lecto inter arbores alligato, per noctem quiescant, eóque majorem somni vim experiantur, quò incitatior aura jacentes hinc inde volvit. Nobis etiam quiescentibus, si aliquando illam impetraverimus gratiam, ut constanti fiduciâ sinceroque spiritu, Deo adhæreamus, nec rerum adversarum pessimi insultus, nec tristes calamitatum impetus nocebunt, neve animum ab internâ disturbabunt quiete, quum sensus nostri interiore compositi tranquillitate nullâ malorum ingruentium acerbitate terreantur. Ita *& in volvendo quietem* capimus, & divinæ benignitatis securi plusquam consuetâ accinctos nos experimur fortitudine, quâ omnibus æquo resistimus animo periculis, & inter turbas, molestias, miserias, divinâ corroborati virtute, suaviter requiescimus. Sæviat omnium tempestatum horrendo furore orbis, & in partes suas illabatur; integer tamen ille, & Deo suo deditus animus non à sua dimovebitur quiete, sed inveniet sibi divinæ præsentiæ

SYMBOLUM XIII.

tiæ adesse gratiam, dulcissimamque præberi tranquillitatem, dum exterioribus tumultibus agitatur volutaturque.

Sic

Sic somnum requiemque Indus sub utraque capessit
Arbore, nec terris quæ latuère, timet.
Altiùs è terris sublatus dulcia somni
Tempora tuta, licèt commoveatur, agit:
Incumbant venti thalamo, in volvendo quiescit
Pensilibusque cubat molliùs iste thoris.
Vir pius in terris sacro devotus Olympo,
Semper amœna sua gaudia mentis alit:
Et medios inter secum capit otia motus,
Atque fremente minis orbe, quietus agit.
Pectus inops sceleris, si mens tranquilla serenat,
Grata vel ex motu gaudia semper habet.

SYMB. XIV.

SYMBOLUM XIV.

NE CONSUMATUR.

QUæ intempestivo lucet die candela, inutili consumitur servitio: sed dum extingui-

guitur, ut ad meliores conſervetur uſus, incolumis manet; donec juſto incenſa tempore, caligantibus ſuccurrat, & majori pereat commodo. Similiter omne ingenium judiciumque noſtrum conſervari debent, ut non in otio & voluptate vitioſâ terantur, aut immaturo intempeſtivoque uſu conficiantur. Abſtinendum eſt illis rebus, quibus ante tempus atterantur ſpiritus, & corporis valetudo, res mortalibus pretioſiſſima, conſumatur. At ubi Deo placuerit, ut fulgeas, ut ſplendeas, exſerendus ingenii vigor eſt, intendendum animi robur, ut cum juſtâ laude, & glorià ſolitâ vitam extendas. Nec dubium eſt, omnia ſponte ſuâ eo tempore fluxura, quum & approbatio divina, & benedictionis ejus præſentia omnes labores ſublevet, ne corpori damnum afferant, ne infelici progreſſu tardentur. Quare placet, tempus à ſummo Numine definitum, haud anticipare impatientibus votis, ſed juvat, nos ejus ſubjicere voluntati, paratos divina illius exequi juſſa, quo die, quâve horâ voluerit.

Quid tremula extinguit rutilantia lumina tæda,
Et claram delet dextera sæva facem?
Nempe reservatur, noctem ut pulcherrima flammis
Vincat, & in tenebris cera corusca micet.
Neve indignabor, si nunc mea lumina Numen
Delet, temporibus mox radianda suis.

(o)

Qua manus extinguit lucentem sedulà tædam,
Id studio, non id præcipitanter agit.
Scilicet immodicus ne perdat temporis usus;
Sed præsens alio serviat illa loco.
Sæpe Deus non vult, ut lux tua splendeat illo
Tempore, sed radios subtrahit ille tuos.
Ille scit optatam, quâ lux tua splendeat, horam;
Commodior cœptis quæque futura tuis.
Fide Deo, dabit ille Tibi, si tempus, honorem;
Si non hoc, alio tempore magnus eris.
Quicquid agis, Deus alme, placet. non obloquor astris.
Sed quacunque venis luce, paratus ero.

SUA-

SUAVIS UBIQUE.

EST genus pomorum citriorum, quod totum suavitate eximiâ se commendat, seu exteriorem gustu delibaveris corticem, seu latentem interiorem succum expresseris. Et sunt humano in genere, qui tantis à Deo insigniti sunt donis, ut tam internâ, quàm externâ polleant virtute, & pietatis, modestiæ, innocentiæ suavitate divinam juxta ac humanam sibi gratiam concilient. Talis homo, dum illis præstantissimis clarus est dotibus, primò integrâ pectoris imbutus sinceritate obsecrat quotidie Deum, ut hoc constanter possit gaudere bono; deinde insigni inflammatus amore, omni studio annititur, ut proximi sui commoda promoveat, & integerrimâ vitâ, suavissimo consortio, pulcherrimâ conscientiâ famam sibi perpetuam conficiat. Quid suavius hoc intuéri pectore Deus potest? quid dulcius hoc vultu videre mortales, quum undique suavitas castissima tam interiore, quàm exteriore gratiâ, se commendet? Atque hæc est maxima divinæ gratiæ vis, quæ sæpius se in humanum extendit

SYMBOLUM XV.

dit genus, ut mortales inde cognoscant, quanta sit divinæ benignitatis facultas in opere humano elucens, & quanta sit bonorum cælestium excellentia, ubi experimur præsentiæ divinæ vigorem, omnium felicitatum dulcedini anteponendum.

Seu

Seu te lata tulit primùm, suavissime fructus,
China, atque Eoa terra beata plaga;
Seu nascentem aluit campis Tartessus apricis,
Et prior adspexit blanda per arva Tagus.
Suavis ubique *homini. Sed tu mens suavior exis,*
Si cælo fueris suavis ubique *tuo.*

(O)

Quicquid in hoc fructu nostros adhibetur in usus,
Id placet, & vires intus & extus habet.
Ipse color suavis, fulvoque simillimus auro,
Et suavis cortex, grana, medulla, caro.
Suavis ubique *placet. Vir sanctus & integer ævi,*
Ille placet magno totus ubique Deo.
Mens, animus, sensus, omnes cum corpore nervi,
Membra, manus, sanguis, pes, caro, totus amor.
Omnia sic flectit, regit, instruit, ordinat, aptat,
Vt placeant summo, qui dedit illa, Deo.
O mea vita Tibi si tota, Iehova, placeret,
Et foret ante oculos suavis ubique *tuos.*

SYMBOLUM XVI.

ILLO SPLENDENTE LEVABOR.

SÆpius Creator Rectorque rerum omnium Deus in rebus inanimatis ostendit suum arbitrii vigorem, ut ea, quæ modico suo initio no-

nobis diuturna haud videntur, tandem glorioſè extollantur ad commodum humanæ vitæ utiliſſimum. Prima recenſque ſeges, humo ſuâ vix exiens, quæ hyberno tempore nivibus oppreſſa jacet; redeunte Solis calore in tantam ſurgit exiguo tempore proceritatem, ut & quadrupedibus majoribus inſerviat, & tegumentum præbeat. At dum hanc Dei benignitatem in illis rebus admiramur, cui non magis nos movebit recordatio divinæ benignitatis, atque validiſſimi auxilii, quô ſæpius nos, multoſque homines in mœrore jacentes, veluti ex pulvere erexit, digniſſimaque hilaritate extulit, ut præteriti doloris immemores, jucundiſſimâ lætitiâ recrearentur? Et licèt Deus non quotidie noſtris pro lubitu humano ſuccurrat votis, eaque exaudiat, tandem tamen præſentiſſimâ gratiâ affulgebit, & lumine nunquam perituro, dum patientiâ pleni in languore triſti jacemus, nos levabit.

Prima ſeges tenerâ veſtit lanugine campum,
Atque humilis pronum lambit ariſta ſolum.
Sed dum Sol ſplendet, dum ridet pulcher Apollo,
Mox flavum tollit fulgida ad aſtra caput.
Tunc Ceres attonitis jactat ſua regna colonis,
Miraturque decus, ſpica procera, tuum.
Sume animos, mea mens. ſi me reſpexerit æther,
Ignavâ victor tollar alacris humo.

(O)

Si fera ſævit hyems, glacialibus aſpera ventis,
Delitet obſcuris nobile ſemen agris.
Aſt ubi Vere redux Sol reſpicit aureus orbem,
Non ſperata ſeges ſurgit, agroſque beat.
Pinguia tum culmis Cerealibus arva tumeſcunt,
Tollit & elatum ſpica ſuperba caput.
Preſſus humi jaceo, ſurgendi nulla facultas,
Si cupio mentem conſuluiſſe meam.
Affulge, Deus alme, mihi. Te dante vireho,
Atque hilari rurſus mente levabor humo.

SUPERGRESSUS.

HUmum suam supergressus est, quisquis in cælum intentus, Deum verâ fide arripit, suisque nihil effici posse viribus judicat, ni ab illo super terrarum sordes & pulverem, super tumultus mundanos sustollatur, qui supremus rerum omnium dominus, singula dirigit suâ potestate, quæcunque nobis gaudii doloriſque sensum afferunt. Is sublimitate suâ securus, nec periculorum casus timet, nec odia, invidiam, fraudesque mortalium curat: omnia enim hæc suis subjecta pedibus cernit, ipsasque calcat nubes, quæ tempestatem valido furore in terras effundunt. Talis rupicapra, postquam summa montium scandit cacumina, spernit venatorum dolos, & allatrantium canum insidias sævitiamque; nec inquietatur

SYMBOLUM XVII.

ır tempeſtatibus, quæ medium montis dor-
ım obſident & præcingunt.

Caprea paullatim montes transgressa minores,
Iam sedet in summo culmine montis ovans.
Heic ubi sub pedibus ventos, nubesque profundas
Conspicit, & si quas concitat aura minas.
Non timet insidias venantûm, acresque molossos,
Sed procul elusos despicit alta canes.
Hoc secura jugo. Nunquam felicior est mens,
Quàm si neglectô scandat ad astra solô.
Heic secura quies, heic corvos ludit hiantes,
Sub pedibusque suis omnia monstra videt.
Quid terris hares, mea mens? secura sedebis,
Si propiùs magno queris adesse Deo.

(O)

Iam sedet athereo non territa caprea monte,
Et nubes supra tollit ad astra caput.
Infra Euri indomiti strident, & plurimus atras
Excussis fundit nubibus Auster aquas.
Iam procul effugit rabidam secura canum vim,
Et quæ dextra trahit retia tensa sagax.
Omnia non metuit. Nec tu majora pavebis,
Quando supergrederis mens mea limen humi.

SYMBOLUM XVIII.



VIVIS AGITUR.

USu cognitum est, aquas ex vivis montium fontibus fluentes, fortiori cursu actas prolabi, molarumque movere rotas, quàm bi lentis constrictæ paludibus, & impuritate,

cœnoſaque putredine immobiles jacent. Pri
ma hæc aqua dici poteſt viva, quæ & pulchr
claritudine inſignis incedit, & velocitate gra
tâ ſtrepens, latè vires ſuas diffundit. No
quoque agimur vivâ Dei viventis manu, cuju
vi exſequimur cuncta perficimuſque tantâ ex
cellentiâ, ut mortalibus inſolita videantur, at
que honorificâ & æternâ extollantur memo
riâ. Ab hoc vivo fonte proſiliére omnes glo
rioſæ res geſtæ, quibus fortiſſimi viri ſe ad fa
mam protulére. Nam qui in promovendâ fu
fortunâ atque virtute, ſingula facta ſuis adſcri
bunt viribus, ignorant parem ſuam cum mol
aquaticâ eſſe conditionem, quæ perpetuùm re
quieſceret, niſi allabente undâ impelleretu
agereturque. Nec prodeſt illis limoſa illa &
putredine ingratâ ſtagnans palus, in quâ, vel
uti in vaſto Oceano, ambitionem, aviditatem
gaudiaque ſua movere ſe putant, quum hæc
movenda rectè ſint, vivorum tantùm fontium
viribus agantur. Quid enim invalidi natur
homines ab infirmo corpore & judicio exſpe
ctaremus; ni aliquid vivacius fortiuſque mi
ſerrimos regeret, cujus auxilio & injuſtum à
juſto diſtinguere, & virtutem anteponere vi
tio, & præclara facinora felici ſucceſſu patrar

per

permoveamur? Igitur rectè atque ordine pii suam agnoscentes infirmitatem, singulas vitæ suæ actiones, si feliciter gerendæ, ab hoc fonte impelli fatentur, tantoque majorem inde lætitiam capiunt, quanto purior validiorque illa aqua est, quæ pectori benè præparato allabitur.

Mobilis in gyrum vivis rota pellitur undis,
Et mola mota suum sic benè versat opus.
Subtrahe labentem consuetis sedibus amnem,
Et rota subductis tota quiescet aquis.
Cessat opus, cessatque labor. Res prospera cedit,
Ritè salutaris si rigat imber opus.
Si divina meis clementer gratia cœptis
Affluit, ex voto cuncta libenter eunt.
Si negat affluxum, dignasque potentia vires,
Tendimus adversis irrita vela Notis.
Perge movere, Deus, mea pectora; perge, sequemur.
Te cessante labant, teque movente vigent.

PULCHER IN ADVERSIS.

ARcus cæleſtis, quem Iridem vocant, imago Solis eſt, roſcidâque & cavâ nube concipitur: qui licet adverſum ſeſe ſemper Soli opponat, colorum tamen varietate & illum, & ipſum ſe commendat. Quid enim multiplici illâ colorum facie pulchrius, ſive cæruleas lineas, ſive virides, ſive purpuræ ſimiles, ſive luteas aut igneas ducat, & ita Solem tegat, ut tamen radios picto pellucidoque vultu tranſmittat? At nobis etiam Iris clariſſimum documentum eſt, non deformari pios rebus adverſis, ſed in ipſis quoque ſuam obtinere pulchritudinem, quæ nunquam tota tegi velarique poſſit. Tum & repentino ſuo ortu, interituque, & prænunciâ cæli ſereni facie oſtendit, brevi illis incumbere calamitates, qui in divinam indignationem lapſi, peccata deteſtantur, & veram ſcelerum pœnitentiam agunt. Hi dum maximis calamitatibus miſeriiſque, velut atrâ nube, obruuntur, mox benignitatis divinæ Iridem adſpiciunt, quæ & cunctos dolorum imbres ſedat, & exoptatiſſimâ luce animum recreat. Itaque

SYMBOLUM XIX.



que læti intuemur hanc Dei benignitatem, gaudemusque insignem nobis præberi consolationem, quâ, si omnis externa abest felicitas, sanctissimam spem auferendæ mox à nobis calamitatis concipimus. At miserrimi omnium, quibus hoc refugium in calamitatibus

denegatur: nam dum fluxa rerum humanarum prosperitas ipsos relinquit, receptu sanctiori excluſi, ad querelas violentas & inde ad ultimam desperationem descendunt.

Horrida dum totô bacchantur fulmina calô,
Et gravis æthereas concitat ira plagas:
Ecce trahens nitidos adverſo Sole colores
Inter arenoſas emicat Iris aquas.
Iris in obſcuris pulcherrima nubibus, Iris
Picta colorato tota decore nitet.
Dum pia mens quatitur diris agitata procellis,
Ecce ſub adverſis pulchriùs illa micat.
Nempe parìm tutis conſtans patientia rebus
Splendet, & obſcuro pulchrior orbe nitet.

(O)

Attonito denſi funduntur ab æthere nimbi,
Aëreoque ingens perſonat axe fragor:
Conglomerat noctem, & tenebroſa volumina torquet
Auſter in adſpectum, candide Phœbe, tuum.
Eſt tamen atrato pulcherrima gratia cælo,
Dum ſe per medias circinat Iris aquas.
Quid me deformem vocitas, dū me aſpera tangunt;
Pulcher in adverſis ſum miſer ipſe meis.

SYMBOLUM XX.

LÆTIUS UT CRESCAT.

GRamen, ut lætius crescat, falce metitur, & humo tenùs conciditur. Non miran-

dum est, si quandoque pii molestiis miseriisque vexentur, & pœnis divinis affligantur. Etenim Deus, quos quadàm singulari gratiâ ad suum elegit cultum atque sinceram veneracionem, multis hinc inde pœnis calamitatibusque variis exercet, ut fidei constantiam in iis expertus, majori deinceps eos felicitate extollat. Non itaque rigor iste respicit horum perniciem; sed affliguntur, ut erigantur; puniuntur, ut postea præsenti auxilio ex miseriis erepti, extollant magis divinæ benignitatis magnitudinem, alioſque suo exemplo ad pietatem attrahant. Quâ in re documentum inprimis patientiæ edendum est, ne intempestivo murmure gemitibusque violento excipiamus manum, quæ affligit: quum Deus subjectis semper succurrat animis, eosque inopinato reficiat gaudio, qui se cælo submittunt, ubi potentiore vi deprimuntur.

Gramina pubescunt viridanti mollia prato,
Et varius tollunt tempora picta modis.
Sed mox messoris curvâ sub falce recumbunt,
Et viridi abscedunt cespite secta suo.
Scilicet ut crescant vernanti latius herbâ,
Luxurians resecat falx metuenda decus.
Nos etiam quandoque Deus cruce frangit & angit,
Vt virtutis amor latius astra petat.
Non queritor mea mens. Surges mox celsior ortu,
Si tua succidit gaudia fluxa Deus.

(O)

Qui modò ridebant vernanti gramine campi,
Nunc virides secti deposuêre comas.
Crudelis falcem submisit messor acerbam,
Maturumque hausit dextera sæva decus.
Quid voco crudelem? quæ messuit, illa benigna
Dextera, & in campos officiosa suos.
Latiùs ut crescant, tollant ut celsiùs udum
Gramina læta caput, messuit illa manus.
Si mea luxuriat rebus fortuna secundis,
Cæde illam, ut surgat sanctior inde, Deus!

IN FRAGILI LUSIT.

NIhil in toto magis terrarum orbe est miserandum, quàm inveniri homines, qui nullius cultus in Deum, atque debiti obsequii memores, omnes ingenii animique vires eò tantùm intendant, ut promoveant luxuriæ suæ voluptates, & exerceant judicii vigorem iis in rebus, quæ & naturâ suâ fluxæ fragilesque, & vitiorum labe pollutæ deformatæque, animum à cœlestibus duraturisque operibus abducunt. His tandem evenit, quod artificibus illis, qui ex fragili lapide statuam multo effingunt labore, & ad lineamenta hominum diligenti studiô præcîdunt; quum tamen mox & edax vetustas, & cæli injuria materiam ipsam comminuant, & tam ipsam statuam, quàm artificis operam nomenque subvertant. Quid in fragili gloriâ ludunt? quid suis dediti cupiditatibus, & nefandis occœcati vitiis, labores suos perituro fundamento superstruunt, quum hos præmatura mors in mediis votis plerumque rapiat, illorum res gestas tot ac tantis sceleribus implicatas vindex Deus sero supplicio castiget ac de-

SYMBOLUM XXI.

deleat? Neque enim justitia divina patitur, ut mortales cultui ejus destinati illis impunè immineant rebus, quibus abundans pravitatis inest malignitas, prohibitis seducens homi-

nem

nem voluptatibus, ut dulcedine peccandi delectatus, obliviscatur debitam Deo attribuere venerationem, omnibus meritò studiis præferendam.

Quam manus artificis statuam clarissima sculpsit,
Spondebat vitæ tempora longa suæ.
Sed miser eventus docuit tamen esse caducam,
Res testatur, humi rudera sparsa vides.
In fragili lusit manus ingeniosa metallo,
Rupturamque suam fracta columna dolet.
In vida consumit ferrum, lapidemque vetustas,
Nullaque res majus tempore robur habet.
Quid non tempus edax perdit? Ludamus in illo,
In quo tempus iners nil sibi juris habet.
Illud agam, quod non injuria temporis aufert.
Semper in æternum quod manet, illud agam.

SYMBOLUM XXII.

DURABUNT.

CUpreſſus nec vetuſtatem, nec cariem ſentit, nec foliorum viriditate orbatur, ſeu ſiccæ æſtatis fervor, ſeu duræ inclementia hyemis incumbit. Itaque olim gentes Diti hanc arborem fecére ſacram, & defunctorum æter-

æternitatem adumbraturi, eam ad sepulchra statuerunt. Sed inprimis constantiam in hoc expresserunt ligno, quum perpetuo virore inclytum, nec tempestati annorum, nec putredini subjaceat. Ac illos quidem populos, in vano deorum cultu errantes, ea inflammavit cupiditas, ut constantiæ famam labore arduo, summâque patientiâ ambirent, & præstanti fortitudine animi laudes suas extenderent. At nos longè firmiori ratione ad constantiam impellimur: nos validissimus Dei adspectus movet & sustinet, ut in ejus æternam gloriam constantes dureimus. Ipsa tandem gentium constantia, cælestibus haud innixa viribus, concidit & dilapsa est: at animus noster divinâ cognitione imbutus, & robustiori fortitudine præditus, feliciùs adversùs omnes casus se corroborat. Ipse erigit se & confirmat, ubi rerum adversarum acerbitate oppressi, diuturniori quodam dolore languemus, aut alio molestiarum genere laceramur. Nec in rebus prosperis se extollit, aut deliquescit, quum semper devoto obsequio in Numen defixus, religiosâ humilitate se componat. Eo modo laudem cupressorum antecedens, quum nec dolore, nec atrocibus periculis concidat,

nec

nec rebus adversis desoletur consenescatque, nec prosperis diffluat, sed pulcherrimâ constantiâ & fortitudine præditus, feliciſſimâ gloriâ in æternum duret.

Ergo iterum, Deus alme, tua me subjicis iræ,
Et ruit in pavidum pœna tremenda caput?
Ah grande infligis vulnus, mea gaudia tollis,
Quodve oculis habui carius ipse meis!
Durabo tamen, & rebus patientia duris
Fortiùs adstringet me, Deus, una Tibi.
Vive cupresse diu. Sed me constantia major
In seros servat post mea damna dies.

(o)

Sicut odorata stantes per secla cupressi,
Nulla senectutis signa labantis habent:
Sic mentes etiam, queis sunt cœlestia cura,
Perpetuum servant, & sine fine, decus.
Omnia tempus edax consumit, & omnia perdit,
Quicquid habent homines, quicquid & orbis habet.
Durabit mens sola Deo sacrata, nec unquam
Temporis invidiam, nec mala fata timet.

MO-

MOTIBUS INTERNIS REGITUR.

SAtis constat, Deum Opt. Max. internis nos regere motibus, ut ad pietatem virtutemque prompti inveniamur. Nam etsi externis in rebus maxima videatur sæpe inesse agilitas, quâ humanum negotium feliciter expeditur; attamen hæc omnia haud sponte nostrâ exsequimur. Quippe sanctus ille Dei Spiritus suam homini communicans gratiam, ipsum movet incitatque ad honestas actiones, quæ animum pulcherrimo ardore stimulantes, deinceps adjiciunt famam insigni laude dignissimam. Nec dubito, quin omnibus nostræ fidei hominibus satis persuasum sit, neque pium aliquid, neque glorioſum à nobis posse committi, ni stimulante illâ divinâ gratiâ adducti, vitam pulcherrimis virtutis facinoribus exornemus. Ac pari quidem & æquali mortales facultate fruimur, ut virtutem ratione nostrâ anteponamus vitio; sed tamen peculiaris illius gratiæ motus est, qui nos ad primam ejus rei causam adducit, ut non solùm cognoscamus virtutem in se, sed & illi omnem attribuamus gloriam, qui nos sanctiore im-

SYMBOLUM XXIII.

impulsu agitat. Sic semper Horologii instar regimur, quod ubi manus incitaverit, occultis rotularum cursibus agitatum, horam tempusque mortalibus designat. Ergò meos sensus moveas, Deus, ne in vitæ meæ cursu pravis impeditus vitiis, ab honesto deflectam, tuo-

tuoque destitutus motu, immobilis jaceam, & inglorius conticescam.

Quæ jacet in mensa, celeres quæ denotat horas,
Ordine dat certos machina mota sonos.
Motibus internis regitur. Sic temporis index
Acta sonat, motu deficiente silet.
Et Deus æthereo tentat mea pectora motu,
Hoc cessante silent, hocque movente sonant.
Non iste externâ procedit origine motus,
Aut humana sacrum dextera ducit opus.
Interna internus tangit præcordia motus.
Et motu in medio, credite, Numen inest.

SYMB. XXIV.

SYMBOLUM XXIV.

NON NIMIUM SECURUS.

LEo, cæteris animalibus fortior, viribusque formidabilior, dum majorum quadrupedum

pedum insidiis major in aperto quiescit campo
sæpe à minimo occiditur scorpione, securita
tisque suæ pœnas luit. Quanquam Christia
norum vita omnem calamitatum vim fide su
peret, insignique fortitudine excellat, sæpis
tamen blanda nos seducit securitas, ut nimi
nostrâ abusi libertate, in lethalia peccata rua
mus. Antiquus enim generis humani hosti
nunc illum per divitias, hunc per maxima
potentiæ vires subvertit: mox alios gratissi
mis corrumpit deliciis, ut cultum divinum
negligentes, sensim majoribus indormiant vi
tiis, & ad ultimas miserias descendant. Ita
que vigilare nobis lubet, pioque metu cunct
circumspicere, ut neque ullæ insidiæ, neque
virium potentiæque nostræ nimia fiducia
neque orbis divitiarum deliciis plenus, no
securos occupent, & simul perdant. Feli
cissimus ille, qui divinâ gratiâ subnixus, non
defatigatur in Dei cultu, ejusque amore
noctes diesque ardens consumit vitæ tempo
ra, indefessâ Creatorem suum pietate vene
ratus.

Ter-

Terribiles quatit ore jubas, & murmure vasto
Infremit indomitus per vaga rura leo.
Non ulli dat terga fera; sed bellua cuncta
Agnoscit domini sceptra tremenda sui.
Ast ubi gramineo recubat securior ostro,
Magnanimum parvus Scorpio ladit herum.
Ladit, & affligit lethali vulnere Regem,
Iamque animam grandem purpureamque vomit.
Quid vili cecidisse feram indignamur ab ictu?
Heu secura nocet fortibus ipsa quies!

(O)

Dum leo securus nimiùm sua lumina claudit,
Fessaque stratus humi membra sopore levat:
Scorpius in mediâ tunc fronte leonis inerrat,
Stertentemque truci vellicat ungue feram.
Magna suis etiam somno suppressa laborant
Viribus, & multis casibus alta patent.
Intemerata piam servat vigilantia mentem,
Custoditque sacer pectora casta timor.
Ne secura suis pia mens sit viribus, illam
Ni servet clypeo præsidioque Deus.

LUMENQUE A LUMINE REDDIT

NUnquam Solis radii Speculum perlustrá
runt, ut non statim redderet lumin
splendorem, & tam à latere, quàm à front
omnia insigni claritate perstringeret. Deu
immortalis, ineffabili amore in humanum ge
nus ductus, pectora nostra incendit, don
que largitur eximia, ut nos gratuitô erg
ipsum animô, omnem nomini divino attr
buamus gloriam, actionibusque nostris rec
damus honorem, quem nobis benignissim
communicavit. Id præstabimus, si & ben
gnitatem ejus laudibus extollamus, & il
faciamus, quæ tam ad nominis illius prop
gandam excellentiam, quàm ad proxin
nostri utilitatem pertineant. Quid enim
improbe, cælestium munerum jactas sple
dorem, si Creatorem tuum despectas, si quo
tidianâ excitatus arrogantiâ, iniquissimè ma
jestatem divinam polluis, si rebus prosper
occæcatus, ad luxuriam raperis, & prote
vam ambitionem modestiæ & humilitati ant
ponis? Reddendum illi est lumen, à qu
accepisti: cujus magnitudinem dum cast
vene

SYMBOLUM XXV.

eneraris animô, dum cuncta nomini tanto ribuis, id tibi concilias, ut majore lumine ulgeas. Sed & proximo communicandum ſt, quod in Te eximium eſt, ſeu prudentiæ ngeniique laudibus inſignis inclareſcis, ſeu nanu promptus, fortitudinis famam obti-

nuisti, seu opum potentiæque magnitudine cæteros antecedis. Proximus Deo est, qui in mortales beneficus, munera sua gratô animô dispensat, & liberalitate indulgentiâque humanum genus sibi demeretur.

Clara repercusso reddit sua lumina Phœbo,
Et nitidum speculi spargit imago jubar;
Acceptosque refert ignes, radiisque coruscis
Assimilat frontem, pulcher Apollo, tuam.
Hoc fragilis faciat vitri quum vilior orbis,
Quid mea non facient pectora, magne Deus?
Quod radio placeoque, tuum est. Nec pulchrior ipse
Me lustrat, quàm qui redditur ipse tibi.

(O)

Immissos Speculum radios à Sole retorquet,
Lumenque ex ipso lumine vibrat ovans.
Non splendet fulgore suo, sed debet honorem
Huncce suum Soli, qui dedit omne decus.
Si, Deus alme, meam lustrat tua gratia mentem,
Illa refert radios irradiata tuos.
Redde, tibi reddam: sine te mens frigida torpet;
Illustrata tuâ luce potenter agit.

SYMBOLUM XXVI.

ALII FAMAM NOMENQUE DEDERE.

IN priſcis Hiſtoriarum monumentis cernimus ſtupeſcimuſque egregia veterum Heroum facinora, quæ tam incredibili virtute atque fortitudine fuére peracta, ut fermè centeatur, homines per ſe infirmiſſimos, exiguo

vitæ tempore, tantas res perficere nequiisse
At qui hodierno adhuc die experimur, mult
ab mortalibus clariſſima facta pauciſſimo an
norum decurſu perpetrari, non tantam admi
rationem mereri ea animadvertimus, ubi ve
riſſimum rerum omnium fontem adeamus
Nam agnoſcimus eorum originem ex ſolâ di
vinâ proſilire voluntate, homineſque quider
agere, ſed Deum efficere, ut gloriosè omni
exſequi poſſint. Quamobrem, qui han
primæ cauſæ originem atque vim conſiderat
hominum clariſſimorum ac fortiſſimorum for
tem non abſimilem judicabit Pyramidi Ægy
ptiacæ, quæ quanquam magnificâ & ſtupend
ſtructurâ omnium oculos animoſque in ſe con
verteret, omnem tamen laudem atque famar
conditori ſuo debebat. Sine eo enim non ſta
ret, nec ſuperbo faſtigio nubibus ſe miſceret
Pariter quòd bellicis facinoribus ad famam l
proferant mortales, quòd ingenii artibus lauder
ſibi conficiant, earum rerum omnium primu
maximuſque honos Deo debetur, qui auxili
ſuo, atque ope famam nomenque largitur.

Inte

Inter marmoreo miracula splendida saxo
Pyramis ad famam nobile surgit opus:
Illa ferit summas regali vertice nubes,
Et Phariâ tollit mole superba caput.
Ardua sed quicquid turris mirabile jactat,
Hoc Reges quondam grande dedére decus.
Nil sibi debet homo. Nam quæ clarissima jactat
Dona, dedit summus, qui regit astra Deus.

(O)

Barbara quæ quondam coluit miracula Memphis,
In seros retinent nomina vasta dies.
Suspicimus Phariô nutantia pondera saxô,
Et cælo propiùs culmina mista suo.
Magna es, quæ cælo te Pyramis inseris alto;
Sed quæ te struxit dextera, major erat.
Pone, homo, vesanos animos. Quo surgis honore,
Celsior hunc omnem gratia diva dedit.

NON FULGORE SUO.

MEritò omnium admirationem vincit Luna, noctis decus, & in tenebrarum remedium reperta; quæ eximiâ pulchritudine insignis, velut Regina inter sidera minora lucet, latéque orbem splendore implens, tempora distinctâ illuminatione metitur, viresque in rebus inanimis, & plantis, & mutis animantibus, & hominibus ipsis exserit. Sed quicquid tanti fulgoris est, uni Soli debetur, cujus luce lucet; ipsa proprii candoris expers, alieni fulgoris indiga, denso corpore opaca, & tota caliginosa, ni radiantes Solis ignes exciperet. Et excellentissimi judicio ingenioque viri, & manu promptissimi, claritudine laudum fulgent, latéque magnitudine famæ suæ orbem terrarum implent. Sed hoc qualecunque lumen, à majori lumine accessit, sine quo inglorii opacique, & in tenebris palpitantes jacerent. At Deus miserrimis mortalibus suam affundit gratiam, cujus lumine & fulgoribus luceant: nec aliam tanti beneficii exigit obligationem, quàm ut omnem claritudinis suæ laudem ipsi Soli attribuant. Magnus & felix

SYMBOLUM XXVII.

felix dicendus est, qui ingenio validus, manuque acer pulcherrimam inter mortales sibi famam acquirit: sed major, sed felicior habendus, qui non propriis se lucere fulgoribus, sed alieno ex lumine claritatem omnem sibi accessisse, grato animo agnoscit.

Quòd ſtellas inter ſe jactet Luna minores,
Et Regina cluat noctis amœna ſuæ:
Quòd toto ſpargat fulgentia cornua cælo,
Vireſque in gelidam lucida fundat humum;
Id debetur, Apollo, Tibi, qui clara ſorori
Lumina, & uſuram lucis, & omne parat.
Nativâ careo luce. At quâcunque niteſco
Luce, Deus, totam debeo, magne, Tibi.

(o)

Per noctem ſplendet Phœbi ſoror æmula nigram,
Iurares propriâ luce micare globum.
Aſt non eſt proprius, quo ſplendet Cynthia, fulgor;
Quicquid lucis habet, Sole micante capit.
Omne bonum, quod in hoc mortali corpore cerno
Hoc tua, ſancte Deus, gratia ſola dedit.
Non fulgore meo, ſed ſplendeo lumine cæli;
Te lucente mico, te fugiente cado.

SYMBOLUM XXVIII.

POLLET AB ADMOTO.

TOrmentum bellicum, magnum terræ pondus, ac cæli tonantis imago, à parvulo incenditur igniculo, quo demissa exiguo pulveri semina flammæ excitantur, ut densâ

fumi nube, intermicantibus fulgetris erumpentia, immanes ferreos globos, ac volitantium pilarum procellam, cum horribili impulsi ætheris sonitu effundant. Exiguus fomes est, sed tamen solus efficax, qui tantum furorem cieat, & vehementius contorqueat, ut in virorum urbiumque stragem duret, ingentesque eversas turres, atque immania convulsa propugnacula secum rapiat. Etiam divina potestas, ab exiguâ sæpe scintillâ magnum ignem in animis hominum excitat, quo incensi maximas perficiant res, quæ ex minimo prosilientes principio, pollent ab admoto, maximamque gloriæ & vigoris laudem afferunt. Quæ etsi nostrum excedant captum, nec nobis lubeat, divinam scrupulosiùs perscrutari voluntatem, id tamen summâ constat veritate, neque maxima, neque minima à nobis perfici posse, nisi ab admotâ Dei gratiâ polleamus. Auxilium divinum, potentissimum omnibus in rebus momentum, singula perficit, singula regit, ut ubique Rectoris rerum omnium & Creatoris potentia, gratia, providentia ab hominibus extollantur. Dum igitur animus noster ambitione honestâ flagrans, inter cæteros eminere virtute mortales cupit, ic

. Deo exſpectemus, ut admoveat nobis ma-
ium ; quum ſine illâ, veluti pigrum terræ
ondus, nihil laude dignum præſtare valea-
nus, licèt vel præſtantiſſimis naturæ expe-
ientiæque donis nos jactemus.

Machina ſulphureas non ejicit anea glandes,
Si non impellas admoveasque manum.
Pollet ab admoto, ſed quem manus adferat, igne,
Inde ſuas vires, robur & omne capit.
Quicquid agit, perfectus honor debetur agenti:
Ignes tolle, nihil machina grandis aget.
Actio tota Tibi debetur noſtra, Iehova;
Quid poſſum ſine te, nî tuus ignis agat?

(o)

Vaſta quidem præſens eſt bellica machina moles,
Et nil ſola tamen, nî moveatur, agit.
Quis temerè confidat? opem quoque maxima peſcunt,
Atque operâ alterius, ſæpe minoris, egent.
At Tibi confidam ſoli, Deus optime; namque
Nullius auxilio ſolus & unus eges.

NUSQUAM TUTA.

QUum fulmen valentiora & excelsiora vehementiùs dissipet, tum potissimùm quercui infestum, sæpius tantâ eam vi percutit, ut nusquam tuta, omnibus lacerata ramis, convulsaque stirpe, radicitùs conflagret. Et si vel hanc calamitatem effugerit, cui non exposita est tempestati, ventorumque & pluviarum furori, si cæteris arboribus altior, verticem nubibus immittit? Neque nos usquam tuti, si superbè elati, iram Dei, atque indignationem gravissimam incurrimus. Ab eo enim semel destituti, nihil est, quod ampliùs tegere nos & defendere possit, licèt vel maximâ potentiâ viribusque subnixi staremus. Tunc omnibus expositi tempestatibus, noxium caput lacerandum affligendumque præbemus, neque refugium reperimus, quò miseros nos ab incumbenti pœnâ eripiamus. Atque ut aliquando exterior illa pœnarum vis non in nos desæviat, gravior tamen internus ille tortor, illa conscientiæ trepidatio nos percutiet, quæ omnibus cruciatibus acerbior, nullam requiem nocte dieque indulget. Quæ enim requies expectan-

SYMBOLUM XXIX.

pectanda, si divina se subtraxit gratia, si Numen sceleribus tuis infestum est, si perpetrati criminis recordatio mentem excitam vastat? Non heic recreaberis ullâ quiete, etsi tibi deliciis ac præpotentibus opibus omnia fluant, sceptrumque & fasces tuos pavidi mortales tremant atque expaveſcant: nec usquam quidem

tutus,

tutus, licèt præsidiis te munias fortissimis, & copias exercitusque corpori circumponas.

Dum metuenda cadunt trepidante tonitrua calo,
Et gravis horrendo fulminat aura sono,
Inter tela Iovis circumvolitantia nusquam
Abdit tuta *suum quercus adulta caput.*
Quippe stat arbor inops medio liberrima calo,
Et patet aëriis dum fremuére minis.
Iratscente Deo, qua te spes impie firmat?
Quò referes timidos, dum furit ira, pedes?
Dum trepidant summis fortes in montibus orni;
Quo stabunt tabulæ, ligna caduca, gradu?

Quos habet attonitos diri mens conscia facti,
Perpetuo cædit verbere pœna ferox.
Nusquam tuta, suo semper mens crimine pallet,
Et mordace premit pectora sæva metu.
At pia mens, sævis dum motibus intonat æther,
Sola stat, & facilem sentit adesse Deum.
Terra latebrosis immugiat ima cavernis,
Horrida tempestas ingruat, aura fremat;
Mens deitatis amans, media inter fulmina perstat,
Et secura suum tollit in astra caput.

SYMB. XXX.

SYMBOLUM XXX.



JACET, DUM PERFICITUR.

SUnt, qui eâ de causâ à pietatis discedunt studio, quòd probos multis affici malis, mò majoribus obrui calamitatibus videant, quàm illos, qui nullius religionis memores, voluptatibus atque impiis deliciis tempora sua transi-

transigant. Sed an non columna Pario marmore superba, ad pulcherrimum decorandum ædificium destinata diu humi jacet, jacendoque perficitur, antequam ad justum erecta usum, insigniori palatium illustret excellentiâ, & conditoris famam, dignitate operis extollat? Etiam tali modô Deus permittit jacere suos, & affligi calamitatibus, ut eos in fide perficiat, & deinde ad nominis sui famam sustollat. Atque ut manus artificis ferro percutit rude saxum, ut pulcherrimam inde columnam ad Doricas aut Ionicas leges præcidat; sic Deus Opt. Max. ipsis hominem expolit miseriis, ut post informem naturæ molem castigatam fide & patientiâ ornatus, ad usus divinos glorioſè erigatur. Neque enim ille, quos in fide constantes reperit, semper humi jacere patitur; sed ex ærumnis, ex calamitatum pulvere eripit, & in clarissimo gloriæ theatro collocat. Quæ felicitas, si non his in terris manet pios, saltem majore splendore tunc excipiet, ubi Deus gratissimâ eos ad se revocans morte, & incomparabili lætitiâ terrestrium dolorum memoriam extinguens, sanctissimô locô insignes stare jusserit.

Dun

Dum jacet in terris, ars ingeniosa columnam
Perficit, atque suis usibus aptat humi:
Postea magnificum fulcit suppositа theatrum,
Vique sua celsam sustinet alta domum.
Sic humiles etiam divina potentia mentes
Præparat, ac habiles ad meliora facit.
Quod jacet, erigitur. Deus auctor humillima quævis
Perficit, & cælo destinat inde suo.

(O)

At gemis, & mœstis latè loca questibus imples,
Dum jubet, ut jaceas, qui regit omne Deus.
Cernis, ut incumbant præcelsis tecta columnis?
Hæ fastidito mox jacuêre solo.
Submittam tibi corda, Deus, vilisque jacebo.
Me tua, si visum, dextra levabit humo.
Tu modò perficias humili tellure jacentem;
Sicque suo tandem tempore magnus ero.

RUM-

RUMPOR IN ALTO.

PUlvis pyrius, in chartæ fistulam sedulo labore compactus, atque incensus, surgit in aërem; & postquam ad supremam vigoris sui altitudinem adscendit, capite in arcum flexo, inter ignavum furorem rumpitur. Id ad eos pertinet mortales, qui insanâ inflati superbiâ fastuque, populi cervices supergrediuntur, & tam erga Deum, quàm proximum immemores omnis humilitatis, suis tantùm viribus insolescunt, animosque sumunt. At hi, dum impotenter fastigia petunt, in alto positi franguntur disjiciunturque; quum Deus indignetur, verti illa dona, quæ homini largitus est, ad indecoram arrogantiam, fastidiique humilitatem, quæ meritò fidissima & nobilissima pietatis socia habetur. Multos fortissimos & sapientissimos viros ea vis dejecit arduis excelsisque ab locis, quibus inhæserant: quod vulgus veram causam ignorans, impotenti fortunæ libidini imputavit. Itaque si quis à divinâ cupiat extolli benignitate, necessariò oportet, ut se ipsum priùs humiliet, superbiamque omnem deponat. Neminem

afflixit

SYMBOLUM XXXI.

afflixit illa vis, qui manſuetâ humilitate cælum reſpexit, depreſsâque ſuâ voluntate, divino ſe arbitrio in omnibus ſubjecit: modeſtiæ laudibus Deum hominesque ſibi devinciens, ſuamque ſedem ſtabiliens, quam in terris occupavit. Haſta, quò penitius terræ eſt infixa,

fixa, eò tenaciùs firmiuſque inhæret, ut vix omni adhibito labore extrahatur. Tales ii ſe firmant, qui verâ pectoris profundi ſubmiſſione Deum colunt: ſecuri præſidio divino, quo corroborati adverſus omnes fortunæ caſus conſiſtunt, & à ſtatione ſuâ neque inſultantibus miſeriis, neque imminentibus periculis dejiciuntur.

Miſſilis aërias conſcendit flamma per auras,
Sed ſurſum ſtrepero rumpitur acta ſono.
Mirificè longo paſcuntur lumina tractu,
Dum velut in cælum ſplendidus ignis abit.
Sed quum venit eò, ſubitum dat flamma fragorem,
Et breve poſt tempus tum ſine luce redit.
Sic perit omnis honor. multi tolluntur in altum,
Sublati medio ſed ſub honore crepant.

(O)

Quid nimiò comples ſtolidiſſima pectora faſtu,
Tollisque in cælum colla ſuperba potens?
Quid juvat eniti, ſummo ſi vertice rerum,
Rurſus in abjectum dejiciare lutum?
Malo mihi placidam, Deus optime, malo quietem,
Atque ſerenatos, qui latuére, dies.
Faſtigia adſcendant alii. modica eligo tutus,
Quàm nimis auguſtas, ſum quibus impar, opes.

SYMBOLUM XXXII.

DUM PATIOR, PRÆTERFLUIT.

OMnes ii, quos gratia divina hùc usque perduxit, ut patienti atque tranquillo animo ferant singulos fortunæ casus, jam dilapsas suas animadvertunt calamitates, dum patiun-

patiuntur eas, dum tolerant atque excipiunt. Palatium, arduorum lapidum ornamento tectum, nimborum excipit impetus; dumque patitur, jam præterfluxisse aquarum copiam, jam se salvum incolumeque agnoscit. Nos, ubi divinæ voluntati visum fuerit, nos subjicere calamitatibus, ferendo & patiendo eas superabimus, mitigabimusque iratum Deum, si non luctu immodico fracti, aut suspiriis intempestivis turbati, querelas impotenter effundamus, sed placido, sed æquo animo feramus, quicquid miseriarum imposuit. Neque aliter vim malis eripimus præsentibus, quàm tolerando, quicquid onerum cervicibus nostris inciderit; quum imbecillis animi, & Deo haud fidentis sit, frangi luctu, & impatientibus querelis macerari, ubi res adversæ incubuerint. Sed nec grave illud piis mentibus, quum nunquam Deus tam violentis eas miseriis calamitatibusque affligi permittat, ut non perferre illas possint. Qui quanquam justâ quandoque castigatione suos premat, tamen mox misericordiâ suâ motus, laborantibus succurrit benignitate suâ, ut omnem fortunæ mœroriſque sævitiam non solùm perferre, sed & vincere planè possint.

Atrato

Atrato densi funduntur ab æthere nimbi,
Imbribus & plenis Iupiter arva ferit.
Tecta domûs crepitant piceis quassata procellis,
Et niger horrisonis detonat imber aquis.
Sed brevis ille furor. Subitò desæviit Auster,
Tectaque sicca citò, quæ maduére, vides.
Non durant violenta diu. Si sæviit æther,
Mox redit excussâ nube serena dies.

(O)

Quid miser effundis turbato pectore questus,
Si furit inceptis fors inimica tuis?
Quid quereris casus, quid mille pericula rerum?
Crux levis & brevis est, quam tibi fata parant.
Transitus est crux nostra. Citò deferbuit æther,
Postque breves nimbos aura serena redit.
Candida præteritis succedunt tempora nimbis;
Dumque imbres pateris, mitior aura micat.

CONDITUR, UT SURGAT.

GLandem exiguam vides, quæ immittitu terræ, conditurque humo, ut spectabi lem producat quercum, quæ in plures annc frugifera atque robusta, tot millibus animalibu inserviat, sylvæque suæ sit ornamento. Homc dum suam abjiciens voluntatem, singula De committit, non suam sepelit gloriæ ambitic nem, sed in pingui atque commodâ planta terrâ, unde mox, divinâ adjuvante gratiâ, in signi cum gloriâ prodeat, & generi hominur sit emolumento. At optimè suas condit cupi ditates, qui voluntati divinæ obsecutus, nec s intemperanter exserit, nec vires suas exercer cupit, nisi superiori illi Numini lubuerit. Nar ubi se magno illi Rectori commiserit, nequ intempestivâ præcipitantiâ res corrumpet suas neque lentâ nimis cunctatione perdet : se singula ipsi opportunâ admodum occasion fluent, & feliciſſimo successu evenient. Quam obrem condat se, subjiciat se, ut Dei sui gra tiâ, celsiùs surgat. Neque invidiam cælo fa ciat, & justum sibi dolorem adversùs Deun putet, si per tempus condi ejus gloriam, & ii

obscu

SYMBOLUM XXXIII.

bſcuro latere voluerit, ut poſtea majore cum gloriâ in lucem extrahat. Nobis etiam præterea glans, in validiſſimam arborem excreſcens, documento eſt, non perpetuò ſepeliri corpora noſtra, ubi morte rapti, terris mandamur: exſpectaturi glorioſiſſimam illam reſurrectionem,

nem, quâ in amplexum Salvatoris nostri rapt
cælum conscendemus.

Cernis, ut excelsos protendat ad æthera ramos
Quercus, Chaoniis arbor alumna jugis;
Arbor sacra Iovi, quâ non præstantior ulla
Per totum surgit stirpe comâque nemus:
Illa tamen glans parva fuit, quam condidit agro
Et texit gelidâ fossor agrestis humo.
Si Deus obscuro me condit, & obruit almus;
Quid necet? ut surgam celsior, ista facit.

(o)

Quæ latuit, taboque atro resoluta cubile
Obscurum infecit glans putrefacta suum;
Nunc petit aërias annoso robore sedes
Quercus, & haud tumulo se latuisse dolet.
Quando meos cineres, corpusque exsangue sepulchro
Reddam, atque ingesta contumulabor humo,
Aethereus rursum veniam formosus in auras,
Et mea cælestis tempora stringet apex.

SYMBOLUM XXXIV.

VINCIT, DUM PERDIT.

INde consultius est, in tempore pravis occurrere cupiditatibus, illasque primâ coërere & opprimere occasione, ne semel mentis ostræ dominium possidentes, & corpus ani-

mamque pernicioso ardore ad luxum lasc
viamque seducant. Animus noster est velu
candela lucens, quæ distributâ flammulâ, é
lychnô in ceram intempestivè delapso, claric
quidem fulget; sed dum inutili splendore au
gescit, longè citiùs consumetur, quàm si o
dinario lumine gaudens, commodiore perire
utilitate. Itaque ne nimis celeriter deliquesca
adimendus est ipsi aberrans ille igniculus: qu
sublato, etsi partem fulgoris perdat, in eâ ta
men re vincit, quòd haud indigno usu, n
misque properante flammâ consumatur. Op
primendæ sunt in initio pravæ cupiditates, n
illis animus diffluat, & inter voluptates, vi
tiorumque usum immaturè pereat. Levis hæ
jactura est, quum abdicatis corporis deliciis
atque injecto pravis voluntatibus nostris vin
culo, illud obtineamus, ut noster animus, just
divino conformis arbitrio, se cupiat solùm a
ipso duci, & unicâ ejus approbatione regi. Si
vincimus, dum nostras perdimus cupiditates
dum Dei voluntati nos committimus: nam
qui ipsa est justitia, nunquam permittet, in
justitiæ labe nos contaminari: qui ipsa est cle
mentia, servabit nos, ne crudelitate & sæviti
exosos nos reddamus: qui ipsa est benignitas,
quo

quotidie suâ nobis aderit gratiâ, ut & ipsi & hominibus accepti, vitam placidè & cum laude transigamus. Quò magis pravitas eorum admiranda est, qui nec tantillum de suis perdere cupiditatibus volunt, ut majora lucrentur habeantque.

Simplice fulgebam flammâ. Nunc defluа lychni
Pars urget ceram duplice luce meam.
Lucco nunc major. Sed quа nova flamma coorta est,
Importunâ hæurit cerea membra lue.
Tolle ignem, subitis ne flammis tota liquescam!
Vinco, supervacuum si benè perdo jubar.
Quid cessas manus almа? hominem quoq; perdier ajunt,
Exemplo fulget si miser iste meo.

(o)

Quа nova lucentem, sed flamma simplice, tadam
Lux auxit geminis ignibus alma suam?
Fallor. Consumet citius lux ista micantem,
Ardetque in clades, tada caduca, tuas.
Intempestivas flammas, atque improba tolle
Lumina, homo. Cunctis ha nocuére faces.

SATIS EST, FAVISSE SUPREMA.

VErùm enimverò Piorum vita similis est altissimo monti, qui nubes transgressus, cacumen suum semper sereno perlustratum Sole videt, dum inferiùs fulgura sævientesque nimborum tempestates feruntur. Quicquid calamitatum est, in hac miseriarum tantùm valle grassatur: at mens pia in excelso posita, & nubes prætervecta, facile hos inferiores tumultus contemnit, modò pacem cum Numine cælesti habeat, modò summa quietem præstent. Tunc animus, si durissimâ atque tristissimâ affligatur calamitate, excellentissimâ tamen confidentiâ gavisus, & certissimâ spe corroboratus, singula patienter feret, nec impotenter dolori suo ingemiscet. Satis enim gaudiorum est, quòd summa misero faveant; quòd fortunæ iniquitatem, hominum invidiam odiumque, terræ sordes & miserias aspernari possit, postquam Deo suo se gratum acceptumque animadvertit. At cæteri, cui summa haud favent, ii in terræ suæ pulvere volutati, tam æquo animo suas haud ferunt miserias: nam ubi justâ vindictâ in eos animadvertit Deus, immemo-

SYMBOLUM XXXV.

memores omnis pœnitentiæ impatientissimo furore ad insaniam feruntur, dumque ultori Deo justâ debebant succumbere humilitate, submissisque precibus imminentia avertere pericula, ipsi vesano tumescentes spiritu, impiis fulminationibus, horrendisque devotionibus,

criminis sui magnitudinem augent, & tandem ad ultimam perducti desperationem, in pœnas suas æternùm durant.

Divexat medium tempestas horrida montem,
Et premit inferius magna procella latus.
Sed caput elatum procul hinc super aëra tollit,
Hacque sui semper parte serenus agit.
Quid moror has terras? modò dent mihi summa quietem
Spernam fœta suis inferiora malis.
Infera perpetuo fervent agitata tumultu:
Vera quies sursum, non peritura datur.

(O)

Non super extremas generantur fulmina nubes,
Sed servant humiles tela trisulca locos.
Mens pietatis amans, tantò tranquillior audit,
Quantò ipsi propior, qui regit astra, Deo.
Si patitur corpus, si membra dolore fatiscunt,
Hæc lictò terris corpore sursus abit.
Hoc nihil orbe potest mentem turbare serenam,
Æterno semper qua bene juncta Deo.

SYMBOLUM XXXVI.

NOSCITUR ILLE TAMEN.

SOlem sæpe nubes caligantes tegunt, & involvunt: per quas tamen ille suos exserit radios, & se totum tegi nunquam posse, diffusâ luce demonstrat. *Noscitur ille tamen*, dum tegumento atro obducitur, & nimborum pro-

cellis, tonitruumque furore infuscatur. Pariter animus pius, ubi caligante miseriarum calamitatumque tempestate obruitur, sentit tamen amicissimos gratiæ divinæ radios, qui per mediam rerum adversarum nubem trepidanti affulgent. Neque enim Sol iste justitiæ & omnigenæ bonitatis, totum se unquam abscondit, ubi suis calamitates offundit, serenumque avertisse vultum videtur. Noscitur ille etiam, sentiturque vis illa magna, ubi luctu obductus animus, nihil sibi circumpositum præter nigerrimam miseriarum nubem existimat, seque in nocte & tenebris jacere censet. Usque adeò in mediis justissimis pœnis, quibus affligit nos illa sanctissima manus, opem ejus gratiamque noscimus, sentimusque benignitatem media per supplicia se validissimè exserentem. Quâ ex re solatium capit animus noster, gaudetque nunquam ita remotum abs se divinum esse auxilium, ut non cognoscatur: pleniore mox lumine se per nubes exserturum, ubi semoto mœroris tegumento pectus afflictum recreabit, gaudiique ac lætitiæ interioris validissimis radiis perlustrabit.

Obscuro savit tempestas horrida cælo,
Nimborumque minis acribus aura fremit.
Noscitur ille tamen fulgenti lumine Phœbus,
Atque cadente, licet debilis, imbre micat.
Non removent omnem penitùs tot nubila lucem;
Semper habet radios mens pia pressa suos.
Servat inextinctam densa inter nubila lucem,
Et placidâ semper luce serena micat.

(O)

Nigra procellosum subfuscant nubila cælum,
Et malè turbatum nox tegit atra diem.
Sol tamen obscuris radiis effulget Olympo,
Et tenui quamvis luce videndus adest.
Nubila nulla piam sic turbant tempora mentem,
Vt non luce dies debiliore micet.
Mens pia divinum tenet inter nubila Numen,
Et sibi sub tenebris sentit adesse Deum.

TE NON PRÆSENTE RIGEMUS.

NImirum si se gratia subtrahit divina, & summa non favent, torpemus miseri, & velut diro constricti frigore, ad actiones præclarè obeundas rigemus. Non sic fontes, non agri rigent, ereptâque omni viriditate, ac vitâ obtorpescunt, ubi remoto Sole hyems grassatur nivibus, atque campos frigidissimæ glaciei sævitie perstringit. Tunc ipsa Natura velut mœrore squallet, miseraturque absentis Solis se destitui vigore: quo despoliata, nec fruges agrorum ex terræ suæ surgere vinculis, nec nutrimento ad vitam commodissimo cætera agitari, nec salientes gratissimo pridem murmure fontes moveri, animadvertit. Et quid destitutus à Deo, & desertus homo, præclari producet, quid fructiferi ostendet, dum absente illo summæ benignitatis Sole, omnes ejus virtutes exspirant, nimio scelerum obrutæ frigore? dum judicium maximè aliàs acre & validum pervertitur, sibique ex pœnâ confidens, multis involvitur periculis, quibus tandem miserrimè succumbit? Scilicet, quòd ingenii judiciique clarissimis te extol-

SYMBOLUM XXXVII.

ollas laudibus, famamque egregiis facinoribus tibi compares; quòd insignioribus excellens donis, alios antecedas; id Dei foventis te & exornantis gratia est; quâ subductâ, torpor ingenium invadet, superbia aut segnitia actiones tuas corrumpent, perdent-

dentque illam existimationis gratiam, quâ pridem volente & affulgente gratiâ divinâ, apud homines fulgebas.

Fervida dum mollis Solis præsentia terras
Deserit, & propiùs lumina grata negat;
Tunc glacialis hyems Aquilonibus asperat undas,
Et coit adstricto mobilis unda gelu.
Et eadem sors nostra, Deus. Si lumina condis,
Subtrahis & radios caltiùs usque tuos;
More rigentis aquæ mea pectora frigore torpent,
Et saxo quovis asperiora rigent.

(o)

Postquam, Phœbe, tuum avertisti, candide, vultum,
Bruma gelascentem frigore stringit humum;
Tectaque canescunt Borealibus arva pruinis,
Et fluvii pigro diriguére gelu.
Sors mea non alia est. Si lumina subtrahis alma,
Tunc duresco, Deus, more rigentis aquæ.
Sed lucem, Deus alme, mihi, faciemque reducas;
Mollia corda fluent, more fluentis aquæ.

SYMBOLUM XXXVIII.

MOX REDITURUS.

SEd peſſimum peccantium genus meritò illud habetur, cui non modò ulla converſionis ad Deum cogitatio occurrit, ubi is ſceleribus vitiiſque eorum provocatus vultum gratiæ ab iis abduxit, ſed qui inde in deſperationem pro-

prolapsi, ad auxilium cælestis gratiæ omnes sibi aditus intercludunt. In illis ad Septentrionem positis regionibus, Sol æstivo tempore breviſſimas permittit nocti tenebras, & dum per paucas ſe abſcondit horas, mox tamen redituras, triſtem diei aufert caliginem, redditque ſerenum fulgore lumen, præ omnibus acceptiſſimum. Similiter Deus, ubi à peccatis noſtris abſcondit vultum, horrorem nobis metumque indignationis ſuæ offundit; mox tamen exitio noſtro non delectatus, benignus atque miſericors revertitur, ſanctiſſimamque amoris ſui lucem pectoribus iterum noſtris immittit. Scio ipſos quoque magno ſæpiùs dolore affici pios, ubi interdum divino auxilio deſtituti, putant divinam ſe prorſus retraxiſſe gratiam: unde multis hinc inde confuſi mœroribus errant, & ſe miſerrimos mortalium exiſtimant. At hi ubi ſuis confiſi precibus, Deum verâ fide, perſeverantique pietate coluére, id experti ſunt, divinam gratiam ſingulis renovatam diebus, miſerorum votis ſuccurriſſe ſuo reditu, maximoque iterum gaudio refeciſſe eos, ut novis exhilarati viribus, nec præteritæ noctis miſerias, nec externos malorum cruciatus, magis ſentirent.

Quò

Quò properas, Titan, & gaudia noſtra moraris?
An peris Eoï littora glauca maris?
An procul occiduis pulchrum caput occulis undis,
Heſperioque lavas flumine feſſus equos?
Fallor. luce novâ jam damna priora reſarcis,
Et rebus vitam, quâ caruére, refers.
Ira Dei brevis eſt. Si lumina ſubtrahit alma,
Lumine majori mox rediturus adeſt.

(O)

Phœbus ut abſceſſit procul ab Borealibus oris,
Et negat Arctoo lumina ſueta ſolo.
Tunc torpet tenui fuſus Septentrio luce,
Quaque Lycaonio terra ſub axe jacet.
Sed bona Parrhaſia fulcit ſpes virginis axem,
Nam qui Sol abiit, mox rediturus abit.
Parce metu, mens ſancta, tuo. Si lumina longè
Clara Deus retrahit, mox reditura refert.

SUF-

SUFFICIT AD MORTEM.

MAgna profectò in divinæ gratiæ absentiâ vis ineſt ad proſternendos homines, & ad cruciatum, infelicitatem, ipſamque mortem traducendos: quippe ubi benignitati ira atque odium ſucceſſére, facilè animus iniquus ad Dei judicis vim ſeveritatemque, quaſi ad ſcopulum aliquem compulſa frangitur. Proditum memoriæ eſt, pecoribus eo tempore momentoque, quo Sol eclipſin paſſus, Lunæ interventu atratum vultum induit, lethalia eſſe pabula, quæ in pratis manducent. Parùm eſt, quòd gratia divina per noſtrum ſcelus abacta, & ſemota, omnia noſtra deſtruat propoſita, ut miſerando fœdentur exitu: etiam dum abeſt ille ſtimulus, qui nos ad ſinceram debebat propellere virtutem, nos veluti in obſcurâ nocte vagantes, illa perpetramus, quæ & corpus & animam in certiſſimum exitium præcipitant. Imò ſufficit ad mortem noſtram, jamque exſpirâſſe dici poſſumus, quando ſuprema illius benignitatis radios in nos haud moveri ſentimus, quum hi optimo ingenium excitent vigore, ut veluti è graviſſimo ſomno exper-

SYMBOLUM XXXIX.

expergefactum excellentissimo vivat spiritu, & res æternâ memoriâ dignas, inclytâ cum famâ exequatur. At quid valet corpus, dum illo vigore destitutus animus, in luctu, metuque jacet, & languescit? quid valent mortalium sensus, ubi illi gratiæ cælestis radiis non tangun-

tanguntur ? Sanè jam ante diem ſuum defunctos morte ſuâ eſſe eos arbitror, à quibus avertit texitque vultum Deus, ut ſuæ relicti nocti, nec animâ, nec corpore rectè magis fruerentur.

Ardentes Phœbus nigrâ ferrugine currus
Condit, & obducit nox tremebunda Deum.
Nocte repentina oppreſſa volucreſque feraque,
Attonitæ tenebras obſtupuére graves.
Sed tu, ne tenero decerpas pabula morſu,
Mollis ovis, tantus dum tenet alta ſtupor.
Heu nocet irato detonſum Numine gramen,
Et tanto irrepit mors inopina cibo.
Tolle dapes, & tolle meæ vaga gaudia mentis!
Iraſcente Deo ſingula mortis erunt.

(o)

Quid tegis, alme, caput nigrâ caligine, Phœbe,
Et lætum ex pavido ſubtrahis orbe jubar?
Heu in te tantum potuit licuiſſe ſorori,
Vt faciem tremeret dicta terra tuam?
Parcite jam cupidæ, ſunt noxia prata, bidentes,
Præſentemque ferunt fortè comeſta necem.
Quid nobis, Deus alme, poteſt precor eſſe ſalubre,
Dextra ſalutarem ſi tua tollit opem?

SYMB. XL.

SYMBOLUM XL.

ETSI REMOTUS.

SEd nec minùs terris imperat vis illa atque gratia immensa Dei, etsi domicilii sui selem elegerit in cælis, & hæc inferiora fastigio suo excesserit. Sol tanto intervallo à nobis remotus,

motus, excellentissimo calore suo nos recreat. diemque omnibus mortalibus diversa per loc habitantibus præbet; & quod magis mirandu est, ardentissimis radiis illud incendit, quoc nec propinquiore admoto igni conflagrare po terat. Nam vitro radii excepti, tanto fervor in oppositum pulverem pyrium agunt, ut facilè flammam concipiat, & circumfusa latè ligna consumat. At longè Sole isto potentior vis illa ac gratia divina, quæ tam externis semper præsens adest rebus, quàm intima hominum perscrutatur pectora, nostrasque actiones uno eodemque momento agnoscit. Eadem minimis rebus suâ affulget excellentiâ, omniaque admirandâ sapientiâ, & justitiæ sinceritate gubernat. Ipsa rebus, quæ difficillimæ videbantur, suâ omnipotentiâ succurrit, ut præstantissimo effectu eas exsequantur homines, quas jam dubiâ ratione prostituerant. Ex adverso facillimis rebus suâ sæpe obstitit voluntate, ut nunquam secundo prosperoque exitu insignitæ fuerint: quò imbecillitatem suam atque impotentiam innixi viribus suis mortales agnoscant. At nobis grande inde quoque in rebus adversis nascitur solatium, quòd nunquam ita remota sit gratia illa cælestis, ut non omnibus nostris in-

terſit rebus, pectoraque noſtra caligantia, &
ſordibus terræ ac miſeriis jacentia erigere ac
creare ſereno vultu poſſit.

Sol licet hinc diſtet toto procul orbe remotus,
Inferiora tamen vis ea magna fovet.
Nam ſpeculo objecto, quo colligit optica lucem,
Suppoſitam ſtringit, ſi patiare, manum:
Sulphureumque nitrum flamma ferente reſolvit,
Et radiis urit torrida ligna ſuis.
In ſummis quamvis habites, Deus optime, cælis,
Tu tamen in terris cuncta remotus agis.
Tota, tibi natura, Deus, famulatur, & orbis
Paret hic obſequiis, ſervitiique tuis.

VITAM PRÆSENTIA REDDIT.

QUondam artificiosa Memnonis statua, ut surgentis Solis radiis incaluerat, suavissimam edebat modulationem, cantuque egregio, & gaudio veluti subsiliens adaugebat pulchritudinem Auroræ, quæ pleno Solis fulgore comitata, serenum diem latè aperiebat. Ac nihil aliud ex dulcissimâ hac harmoniâ innuebant gentiles, ac valetudinem corpori animique redintegrari, ubi nimirum corporis sanitas post morborum gravitatem, animi lætitia post adversam fortunam redierat. Nos verò Christiani longè insigniori applicatione hanc Memnoniam intuemur effigiem, dum vitiis peccatisque polluti, & in miseriarum nocte jacentes, iterum gaudere animum sentimus appropinquante gratiâ divinâ, quæ sola vitæ nostræ restauratrix, nos illibato recreat gaudio, ut singulæ nostræ actiones cum temperatâ justâque harmoniâ suaviter procedant. Quæ gratia si affulserit, justâ iterum animi valetudine pollemus, nulliusque noctis aut ægritudinis memores, vitam nostram interno gaudio transigimus, & in laudes Dei nostri plenor

SYMBOLUM XLI.

re animoque effusi sacrâ symphoniâ cælum mplemus. Atque hoc unicum est gaudium, quod veram & insignem fert secum quietis onstantiam: cætera enim cupiditatibus ardentibus commista abstrahunt inquietudine suâ mnem jucunditatem: dum ingenium partim

ambitione flagrans, partim indignâ avidit: lucri infectum, partim indecoro metu vex tum, continuò turbatur, ut ipsi etiam mort les agnoscant suam dierum fugam, his ind coris præterlabentium affectibus.

Memnonis effigies mutescit nocte perusti,
Sed faciles reddit, Sole micante, sonos:
Quid non Numen agit? mediis mutescimus umbr
Si nobis vires gratia summa negat.
Sed si sancta Dei reddat clementia lucem,
Mens promptè loquitur, quæ modò muta fuit.
Heu, tua, sancte Parens, aufert absentia vitar
Gratia sed vires omnibus una refert.

Qua suavi mulcet calum vox blandula cantu,
Dum caput æquoreis promit Apollo thoris?
Salve Dædaleo Memnon fabricate labore,
Tu tremulum resonas, Sole micante, melos.
Ille agitat molem, totosque infusa per artus
Tanta ciet numeros lux veneranda sacros.
Nocte silet totâ. reddit sua gaudia manè.
Sic mihi post noctem gaudia redde, Deus!

SYMBOLUM XLII.

AGITANTE CALESCIMUS ILLO.

DE Elephante memorant antiqui Scriptores, eum Solis exorientis intuitu gestire præ gaudio, promuscidem versùs Solis tendere radios, toto denique corpore incalescere,

re, tanquam sopitas nocte vires cælestis illi fulgor excitaret atque inflammaret. Quic magni homines, sive mole corporis, sive fortunâ validi possunt, si agitante Deo hauc calescunt? Nihil sanè virtutis & gloriæ i nobis ineſt: sed gratia divina est, per quam vivimus, quâ gaudium lætitiamque capimus, qua incendimur, ut præclaris dediti rebus, vitam pulchro decoremus exitu. Illis misericordiæ divinæ radiis incalescimus, ut ac omnia majori feramur constantiâ, ut adversas res æquo patiamur animo, ut majori confidentiâ exspectemus futuræ felicitatis tempora, æternitatis laudibus clarissima. Sed feruntur elephantes venerari ipsum Solem, & oculis in illum defixis adorare exoriens lumen, quo se perfundi agitarique sentiunt. Quantò magis id decet hominem, ut veneretur illud castis precibus Numen, quo se ad res præclaras agitari impellique animad vertit, ne ingratitudinis scelere divinam vindictam adversùs se irritet. Nunquam enim impunè homo suis gloriatus est dotibus: quum Deus, ubi mortales suâ se putant æstimatione & virtute nimis securos, suam retrahat gratiam, ostendatque, pretium suæ benignitatis

tatis in devotis teneri pectoribus, non ingratitudine, non infesto superbiæ vitio fœdandum.

Formidate Elephas, Getulæ gloria sylvæ,
Vnde iste interior, qui subit ossa calor?
Vnde animosa quatis turritum, bellua, dorsum,
Atque in sæva ferum prælia stringis ebur?
Sole agitante cales, vires hinc accipis acres,
Et tanto agnoscis te caluisse Deo.
Sed dum Sole cales, dum laudas gratior illum,
Crede mihi, vincis, bellua muta, hominem.

(O)

Exorientem Elephas veneratur in æthere Phœbum,
Nec non cælesti totus ab igne calet.
Plaudit adorato placidissima bellua Soli,
Et sensum Summi Nnminis intus alit.
Quid faciat mortalis homo, si nocte fugatâ
E placido surgat Sole vocante thoro?
Te, Deus alme, pia mentes agitante calescunt,
Et meritas grates, præmia digna, canunt.

REDIVIVA CALORE.

VIdemus hirundines ex abditis prodire locis antrisque, & veluti sua relinquentes sepulchra, & ex hyemali morte expergefactas, ad jucundum vitæ suæ resurgere vigorem, ubi gratissimus Veris calor, blandaque cæli aura eas afflat atque excitat. Et hoc deliciarum tamdiu fruuntur tempore, donec exactâ iterum æstate, asperitatem hyemis horrentes, vel in calidiora iterum confugiant loca, vel in petrarum fissuras, quercumque concava se dejiciant, gratum caloris reditum exspectantes. Nos etiam, dum ex tristi miseriarum mœrore à divinâ revocamur gratiâ, dum excussis omnibus sollicitudinis anxietatisque vinculis, gaudio sanctiori restituimur, dum benignum vultus divini calorem sentientes, ad vitæ actiones prompti alacresque excitamur; resuscitati veluti ex morte, & novâ aucti vitâ videmur; tantoque redivivi calore, & omni cruciatu erepti, dies nostros felicissimè progredi dignissimo benedictionis divinæ afflatu animadvertimus. Sed nec illa felicitatis æstas perpetua nobis est, ubi per nostram crimi-

num

SYMBOLUM XLIII.

num petulantiam provocamus justissimam Dei iram; tunc enim omnis vitæ nostræ vigor iterum dilabitur, tunc tam externis, quàm internis timoris tristitiæque tormentis perterriti, omni auxiliô destituti, abdimus miserum caput inter calamitates nostras, & velut

tumulo conditi jacemus: infeliciſſimi omnium mortalium, poſtquam nos calor ille cæleſti deſtituit. Eſt enim divinæ abſentiæ pœna adeò ingens, ut etiam hominem omni alio prive refugio, omnia gaudia enervet, omnes ſpe confundat, & ſingula conſilia deſtruat: ſicu ex adverſo vita omnium jucundiſſima eſt, ub calor ille Spiritus Sancti noſtra tangit pectora & in digniſſimo pietatis continet fervore, & jam illam ſpondet vitam, quam ultimo reſur rectionis die, præſtantiori redivivi calore in grediemur, omnium felicitatum perfectiſſi mam.

Dum latè deſævit hyems, ſe Daulias ales
Abdit, & in gelidis tota ſtupeſcit aquis.
Non ſupereſt ſenſus, non vita, nec ignea venis
Vis latet, aut priſcus, qui fuit ante, calor.
Aſt ut amica novi rediit clementia Veris,
Vivit hirundo loquax, qua modò funus erat.
Sol renovat vires, veterem Sol ſuſcitat ignem,
Et ſecat aërias tunc rediviva plagas.
Si tua, magne Deus, tollit clementia lucem,
Mens mea ſubmoto tota calore riget.
Vt rediit, nova vita redit. Tunc tollor in altum
Cæleſteſque peto celſior inde domos.
Exoriare meo quoque lux optata ſepulchro.
Et mea perpetuum mens rediviva cluet.

SYMB. XLIV.

SYMBOLUM XLIV.

ERIGIT.

ERrare humanum est, nihilque mortalibus consuetum magis, ac insitam malitiam externis sceleribus prodere. Omnes, & quotcunque vivimus, eâdem tabe laboramus;

quamvis alii aliis citiùs, gratiâ divinâ erecti, ad suæ redemptionis recurrant Procuratorem, submissisque precibus veniam flagitiorum rogent, ex imbecillitate commissorum. Sed etsi ruamus in peccata, etsi in flagitiis jaceamus, eâ tamen Deus caritate complectitur hominem, ut cadentem citiùs erigat, ac ille, qui labentem per saxorum iniquitatem equum, fræno sublevat. Et quanquam etiam redintegratis criminibus ex petulantiâ peccemus iterum, tanta tamen Dei misericordia est, ut & sceleſtissimis hominibus condonet delicta: quum nullum peccatum adeò grave sit, cui non immensa parcere possit divina gratia, modò ad justam ex animo reversi pœnitentiam, reliquo vitæ tempore à flagitiis absistant. Nam si nulla pœnitentia consequatur, si peccata peccatis adjiciantur, ac divinæ ejus iracundiæ quasi faces admoveantur, non modò deserit ille jacentem, sed continuò etiam erumpit ira ejus veluti fulgur, & tarditatem gravitate supplicii compensat. At nos amplectamur gratis pectoribus gratiam divinam, prosequamur ipsum Numen filiali semper timore, adeamus ejus cultum tremore casto & devoto, ut nos, instar equi fræno ducat regatque

atque, voluptatibus seductos, & ex imbecillitate cadentes suâ iterum erigat manu, nosque ita suâ contineat gratiâ, ne periculoso lapsu ruentes in ultimas æternasque miserias incidamus.

Quum laxis sonipes tumidus graderetur habenis,
Subjectam ferit non benè certus humum.
Quàm benè, quòd suevit dare mollibus ora capistris;
Nam lapsum in faciles sistit habena pedes.
Nunc iterum arrectus micat auribus, & fremit ore,
Atque auras anteit cursibus ipse vagas.
Et cado sæpe, Deus. Sed me tua gratia rursus
Dum tollit, terris me jacuisse piget.

(O)

Ecce ferox nutat gressu titubante Caballus,
Dumque jacet, lapsum sublevat alma manus.
Sæpe, Deus, titubo; Deus optime, sæpe vacillo,
Sed tua me rursum gratia tollit humo.
Quanta Dei bonitas! si me malus abstulit error,
Si cado, si mediis devius erro viis:
Me lapsum divina solò clementia rursus
Erigit, & stabilem firmat amica gradum.

ANIMO, DUM ANIMOR.

NUnquam tympanum edit sonitum bellicum, animatque militares animos, nisi admota priùs manus ipsum animaverit. Nunquam animus excitari noster poterit, nisi divina priùs consentiens voluntas & ipsum animaverit, & destinata approbaverit. Sed sunt, qui cupiditatibus suis animati, eoque stimulo agitati, arripienda statim ea, & executioni mandanda putant, quæ ex improviso in mentem venerunt. At securiorem longè habemus cognoscendi modum, quo judicare possimus, nostrisne affectibus, an divinâ manu animemur: si sinceris ad Deum effusis precibus, priùs sententiam ejus exploremus, & inde ex effectu, glorioso que exitu agnoscamus, voluntatem ejus nostris desideriis fuisse conformem. Ea verò voluntatis vis, quæ à nostris cupiditatibus illabitur in mentem nostram, eamque animat, suo plerumque desiderio se confundit, & inter vanæ ambitionis conatus, ac sterilis consilii labores destituta, nostram tandem impotentiam ostendit. Proinde animet me supremi illius arbitrii dextera, ut ad ejus

SYMBOLUM XLV.

ejus voluntatem perficiendam indies promptior inveniar ; meaque ambitio divinæ voluntati consentanea me propellat ad promovendam sanctissimi illius nominis gloriam, quod me & spiritu & fortitudine animat, ut & me vicissim ad præclara facinora obeunda, resque

resque adversas ferendas, & alios exemplo meo animare possim.

Me non pigro animet promptissima dextera tactu,
Vt segnes animem fortia in arma viros:
Vt Geticum accendam metuendo murmure Martem,
Et celo ingeminem classica sæva vago.
Vilis sum, fateor, pellis: sed tempore duro
Auxilium Reges me coluére suum.
Sed tamen illa mea clarissima gloria laudis,
Tota tibi fuerit, qui mea sistra moves.

(O)

Stridula dum streperis animantur tympana bombis,
Pugnaces animant ad fera bella manus.
Acta potenter agunt. Si tu, Deus optime, mentem,
Atque tuâ moveas pectora nostra manu;
Tunc animant animata pios. Tu prima bonorum
Causa, Deus, de quâ cætera cuncta fluunt.
Mortua turba sumus. Te nos animante vigemus;
Absque tuo nullus Numine motus inest.

SYMB. XLVI.

SYMBOLUM XLVI.

DIRIGIT UNUS.

QUisquis semel radios divinæ gratiæ in se agi sensit, fatebitur nullum in orbe esse gaudium, quod hoc jucundum felicitatis momentum antecellat. Animus sanctissimâ quiete

te exhilaratus, nullis anxietatibus affectuum urgetur; neque ad aliquid adspirat, nisi ad hujus fortunæ constantiam, quâ se tantùm donari cupit. Quin ubi externis causis nulla apparet gaudendi ratio, tunc fervor illius gratiæ in nos potissimùm majori movetur stimulô, ut & vitæ pertæsi, eam libenter cum morte commutaremus, ut propiùs interiùsque plenissimam illam gratiam, post depositas corporis exuvias, in cælis obtineremus. Quæ felicitas unicè dependet à divinâ præsentiâ, quâ si circumfundimur, integerrimum illud perfectissimumque gaudium possidemus: sicut ex diverso, ubi se aliquantulùm à nobis abscondit, violento doloris & cruciatuum sensu, absentiam ejus experimur. Itaque & illam præsentem vim Soli, nos autem solario sive horologio sciatherico comparare lubet. Nam sicut præsens Sol solus agit, ut justa hora temporisque ratio monstretur, ita divina præsentia dirigit nos, ut vitæ nostræ actiones justâ laude ostendamus. At nulli usui solarium, si abest Sol, qui id *dirigit unus*; nec nos pollemus miseri, ubi se subtrahit ea benigna Numinis vis, quæ sola moderari nostros animos, idoneosque efficere ad pulcherrima

rima opera subeunda, feliciterque peragenda pot est.

Cedite sidereæ flammæ, vaga lumina noctis,
Non vestrum cupio detinuisse jubar.
Non mille efficitis, quod Titan efficit unus:
Namque unus cursum dirigit ille meum.
Hoc monstrante diem radiis dimetior æquis,
Horaque festinum strenua raptat iter.
Auxilium spernant alii. mihi maxima laus est,
Lumina si propiùs Sol mihi firmat amans.

(O)

Iam signare potest omnes horoscopus horas,
Dum nitidum immittit plenus Apollo jubar:
Sed mihi tolle tuam lampas Titania lucem;
Iam nulla in toto cernitur hora scopo.
Si Sol justitiæ lustrat mea pectora solus,
Illa valent rectè munus obire suum.
Luce sed ablatâ tali, nil possumus omnes.
Quicquid inest nobis, gratia sola dedit.

QUID

QUID MOLES, SI NON MOVES?

CAmpana, magnitudine suâ & pondere insignis, ubi nullæ ipsam manus movent, diuturnô conticescet otiô, suâque nunquam sponte ullum sonitum emittet. Multò minùs mortales, divinâ haud gaudentes gratiâ, vitæ suæ movebunt gloriam fortunamque; quum Dei absens manus destituat hominem, ut veluti inglorium terræ pondus, ignavô otiô emarcescat. Aut, ubi illa non movet manus, homo suis relictus cupiditatibus, præceps ruit, & à justitiæ aberrans viis, se suamque fortunæ molem pessundat. Est ejus saltem gratia, est ejus manus, quæ singula perficit, excellentiamque dignissimam rebus tribuit: sine quâ omnis honestus vitæ motûs desinit, amissâ sui vigoris animâ. Ne igitur magnis cogitationibus impleas pectus, ne in multos annos rationem fortunæ tuæ subducas, ne gloriam, ne potentiam, quâ fulsurum te crastino die arbitraris, animo fingas; quum incassum hæc ponantur consilia, ubi Deus manu suâ te non movet, non regit, non moderatur. Qui tamen viribus tuis fretus,

SYMBOLUM XLVII.

tus, perrupturum te omnes difficultates, vel cælo invito, existimas, id tuo tandem damno experiéris, molem te esse terream, quæ sanctiore haud mota atque agitata Spiritu torpescat, & suo tandem pondere se ipsam comminuat.

Quæ

Qua campana suo pendet liberrima templo,
Hæc nullos edit, sit nisi mota, sonos.
Mota movet tremulas raucis clangoribus auras,
Atque agit officium, sed priùs acta suum.
Quid moles operosa juvat, nisi moveris aptè?
Et nisi mota suas discat obire vices?
Ferrea sum moles, sum pondus inutile terræ:
Sed si me moveant Numina, motus agam.

(o)

Terrea sum moles, rigeo in pietatis & æqui
Heu studio totus, cesso in amore Dei.
Sed si diva meam moveat clementia mentem,
Et velut intùs agat, flector & edo sonum.
Cor tremit, os psallit, manus æmula tendit in altum,
Pes volat, & sensim singula membra vigent.
Quod movear, Deus, omne tuum est; tibi gloria cedit;
Tu pigra corda moves, ora, manusque, Deus!

SYMBOLUM XLVIII.

ILLO ALITUR VIVITQUE.

UT lampas diuturnum præbeat in tenebris fulgorem, oleô affusô alitur: sine quo nec illæ perennare potuére, quas suis reconditas urnis, perpetuas æternasque ingeniosa Anti-

Antiquitas putavit. Liceat his divinam comparare gratiam, quæ quotidie vivo suæ benignitatis oleo nos alit recreatque, ut in omnibus vitæ nostræ rebus inveniamur promptiores, tum ad cultum ejus ex animo prosequendum, tum ut in actionibus negotiisque nostri peragendis solidâ virtute polleamus. Sic illo nutrit servatque constantiâ atque dignissimâ fortitudine, quâ pravis suis resistentes cupiditatibus semper laudabilem obtineant victoriam, aliàs ex nimiâ virium nostrarum impotentiâ nunquam sperandam. Alios virtutibus non minoribus sustentat, ut nimirum incorruptâ justitiâ, integrâ veritate, amore erga proximum, illibatâ animi sinceritate effulgeant, earumque rerum sanctissimis laudibus velut perfectissimo nutrimento fruiti, tranquillè & beatè vivant. Quid enim præstantius, quid lætius, quid gloriosius nostris evenire pectoribus potest, quàm si sacro illo virtutum nutriantur oleo, & inde illud nanciscantur, ut fulgeant laude haud vulgari, insigniqué hominum admiratione, amore ultrò conciliato, applausuque invidiam transgressi fruantur? Sed & multos Deus ipsis alit rebus adversis, ut iis, qui cum eisdem conflictantur,

ur, ad rem omnium utiliſſimam, ſui nimium notitiam perveniant, & intumeſcentem ltiuſque ſe efferentem animum, redire ad umum compellant.

Vt vigiles fundam flammas, lumenque coruſcum,
Et noctis vincam tempora nigra tuæ,
Humorem affundas, & ſuccum pinguis olivi,
Et flammas foveat fœta Minerva meas.
Hæc æterna mei ſunt ignis pabula, & illo
Sufficiam in cunctos paſta liquore dies.
At tu quæ latices mihi fundis dextera gratos,
Et latices habeas cœlitùs ipſa tuos!

(o)

Affundas oleum, lampas nitidiſſima ſplendet,
Sed ſi juſta neges pabula, flamma perit.
Creſcit ab infuſa cera Pallade lampas, & ardet,
Sic meus affuſo Numine creſcit amor.
Si divina meam de cœlo gratia mentem
Irrigat, illa ſui flagrat amore Dei.
Sin minus, heu ſucco miſerè ſpoliatus alumno,
Ignes extingui cerno repentè meos.

CLARIUS INDE MICAT.

ADamas, qui omnium lapidum pretiosi-
mus, cæteros & claritate & præstanti
splendore longè antecedit, nunquam sereniori
lumine micat, quàm ubi Soli expositus, ta
tos quoque radios excipit, & inde fulgore
suum intendit. Viri magni, naturalibus don
splendentes, nunquam majorem sibi splend
rem circumponunt, quàm ubi gratiæ divin
radios simul excipiunt, iisque claritatem sua
adaugent. Sola enim hæc est, quæ illustriore
facit hominem, & muneribus suis poten
æstimationem ejus intendit: quæ viribus adj
vat nos, ut dignissimâ exsequamur gloriâ, qu
perpetranda suscepimus: quæ stabilem ind
rerum nostrarum felicitatem esse jubet, ut
clariùs, & longiùs in terris micemus. Sed
Solis tanta vis est, ut res vilissimas insigni de
coret venustate, ubi iis radios suos immiserit
Minimum tunc fabuli aut arenæ granum, sæ
piùs fulgorem gemmæ æmulatur: & nix fri
gore durata, pulchro colore micat: planè u
nihil adeò in se dejectum sit, quod, dum So
lis gaudet lumine, pulchritudinem & venusta
ten

SYMBOLUM XLIX.

em haud induat. Quantò magis gratia divina lluſtrat, ubi plenum fulgorem mentibus hominum affundit? quæ ſanè tantâ in ſingulis rebus præſentiâ dominatur, ut & nos, ſi inſtar lejectæ arenulæ jaceremus, tanta poſſit illuminare claritate, ut adamantis quoque ſplendorem longè vincamus.

Tu, qui non flammis, non dura incude domaris,
Qui radio assimilas sidera clara tuo;
Clare adamas, quo non gemma est præstantior ulla
Visa per Eoi littora pulchra maris;
Quamvis tu stellas candore imiteris & igni,
Sole tamen tactus, clariùs inde micas.
Fortunate lapis, cui se Natura probavit,
Et patrium intendit magnus Apollo decus.

(O)

Seu tu corporeis celebraris dotibus ingens,
Seu fulges clari laudibus ingenii;
Seu quocunque animum facilis Natura decore
Ornavit, donis prodiga alumna suis.
Crede mihi, major fulgebis laudibus istis,
Si simul affulget gratia diva Tibi.
Ille etiam, tremulos adamas qui projicit ignes,
Si Sol affulget, clariùs inde micat.

SYMBOLUM L.

UT PERFICIAT.

BEnignitas divina haud ignorans noſtram imbecillitatis miſeriam, honeſtas permiſit mortalibus recreationes, quibus & animus exhilaretur, & corpus ad integriorem ducacur valetudinem. Quod nutrimentum utri-

que neceſſarium eſt: nam etſi anima ſit par
nobilior, tamen quamdiu corpori eſt conjun
cta, ſimul illius lætitiis afficitur, & ſoci
quiete componitur, & dulci corporis ſui ſa
nitate fruitur. Neque id Deo Opt. Max. diſ
plicet; quum is terreſtria largiatur dona
non ut iis ſuperſtitioſe abſtinendo ambitio
ſam laudem captemus, ſed ut ea ad neceſſa
rium vitæ noſtræ uſum, haud impiâ volupta
te impendamus, & inde jucundiori excitat
fervore, ac ſpiritu vegetiore ducti, ad divi
ni nominis cultum, ad proximi noſtri utilita
tem alacres robuſtique duremus. Qui Deus
quum noſtram prævideret debilitatem, ani
mumque corporis compage fragili circumda
tum, facilis honeſtas indulſit delicias, ad cor
roborandam & animi & corporis valetudi
nem; ne omni deſtituti vitæ amœnioris vigo
re gratiâque in luctu periremus. Nihil ergo
in illis prohibuit, niſi conjunctum vitio ab
uſum: neque in honeſtis adeſt rebus peccandi
periculum, ubi ſemper præferimus divinum
cultum, Deoque ſincera mente ac fide ſervi
mus. Quò magis ii reprehendendi ſunt, qui
rigoroſâ quadam ſanctitate capti, auferun
omnem vitæ dulcedinem, & tanquam ani
mus

nus tantùm in luctu & suspiriis detinendus esset, nec jucundiorum rerum gaudiis diverti-culisque amœnioribus refici eum patiuntur. At Bombyci sæpe substernit manus amica vi-ide mori folium, ut illo nutritus gaviisusque perficiat serica fila, quibus pretium humana ambitio fecit.

Inclyta, quæ molli detondent stamine Seres
Vellera, regales mox habitura sinus;
Hæc tereti ducit bombyx vilissimus ore,
Et vermis tantum pendulus urget opus.
Sparge levem morum Tineæ, cœnamque virentem
Præbe, ut perficiat sedula ventris opes.
Tu quoque, perficiam rectè ut tua jussa, Creator,
Ne vitæ eripias pabula læta meæ.

(O)

Bombyci folium mori manus admovet escam,
Latiùs assumpto crescat ut inde cibo.
Non satus, ut primo vermis nascatur ab ovo,
Cara sed illius vellera Seres avent.
Quid cœpisse juvat telam, nisi finiat auctor?
Nemo decus, nisi res perficiatur, habet.
Non solùm è terris Tu me, Deus alme, creâsti,
Sed quoque ritè tuum perficis auctor opus.

ERIGOR, DUM IRRIGOR.

ARbor pomis Aurantiis onusta & insignis, etsi pulchritudine & æstimationis dignitate longè antecellat cæteras, tamen nunquam gratum illum feret fructum, aut ad perfectam perveniet maturitatem, nisi eodem cæli beneficio, pluviis nimirum recreata, consueto arborum crescat alimento, illoque liquore pariter irrigata se erigat. Ac Deus quidem pariter distinxit hominum genus, ut hi alto loco nati, imaginibus Majorum fulgeant; illi præstantissimi ingenii dotibus emineant: alii mediocri conditione aut virtute se commendent: omnes tamen ab eodem Creatore foventur, huic vitam suam, huic conditionem, huic omnem virtutis gloriam debent. Is dum irriguâ gratiâ nos adspicit, pariter erigimur, & in fructus nostros solvimur: cœlestique illo tincti rore decus quisque suum & æstimationem accipimus. Unde nec mihi jactandum insolenter est, si cæteros nascendi sorte, aut ingenio, aut fortunis antecedam. Quid enim me de alienis jactabo opibus, quid alterius beneficii muneribus gloriabor, dum qui-

SYMBOLUM LI.



quidem nunquam illis potuissem gaudere; antequam ea acceperam? & nunc multò minùs mihi possim illam doni adscribère excellentiam, quum in alterius sit potestate, sive illis me recreare & insignire fructibus, sive retractâ penitùs liberalitatis misericordiâ me destitu-

tuere, ut arentibus illis per ſteriles Lybiæ agros arboribus ſimilis deficiam? Sed tu me irriges, Deus, ut erigar: gratoque præſentiæ tuæ vultu me recrea, ut creſcam læto fidei nutrimento & fructus conſtantiæ, pietatis, modeſtiæ ubertim feram.

Quantum ſylva aliis Daphnæa excelluit umbris,
Arboreos tantum vinco decora greges.
Succi dulcis plena, auroque ſimillima mala
Profero, vel ſummis mala legenda diis.
Heſperidum ſe horti jactent. Mihi gloria major,
Et non vana meas fabula narrat opes.
Hoc tamen Arboribus reliquis me junxit Olympus,
Erigimur ſtirpes imbre rigante pares.

(○)

Fertiliùs creſcit pluviis labentibus arbor,
Promitque exſertis mitia poma comis.
Subtrahe fœcundos, qui manant cœlitus, imbres,
Mox aret, fructus, qua dedit ante, ſuos.
Nos ferimus dulces, velut arbor idonea, fructus,
Gratia ſi tua nos, ô Deus alme, rigat.
Sed tua ſi gravidos inhibet clementia ſuccos,
Nos pietatis inops arbor & umbra ſumus.

SYMBOLUM LII.

MUNERIS OMNE TUI.

ERgò quid gloriæ, quid potentiæ acceſſit mortalibus, quod gratiæ divinæ haud deſint? quid poſſidet homo, quod aut ingenio ſuo, aut adſcribere virtuti ſuæ poſſit? Quod

vides cornucopiæ, variis fructibus, floribusque insigne est: sed hæc sibi munera Sol vindicat. At non satis est, verissimam illam habere cognitionem, quòd omnipotenti Creatori omnis sit attribuenda rerum gloria; verùm id agnoscendum quoque gratô animô, & semper illud castâ devotâque mente dicendum, *Muneris omne tui.* Quid enim fœdius magisque impium est, ac nosse benignissimum Deum, unicum omnium fortunarum donorumque auctorem, & tamen eidem haud velle reddere gratias, aut devoto sinceroque colere eum animo, aut gratuito illud agnoscere pectore, quod nobis plena manu contulit? Qui in amicitiæ sacra transiverunt, molestè ferunt ac graviter, si beneficia, quæ alter alteri tribuit, ingrato animo excipiuntur. Sed Deo justior animadvertendi causa, ubi innumerabilibus nos afficit beneficiis, & pro tantis muneribus, nihil nisi gratum sincerumque pectus reposcit; nos autem tantorum munerum immemores, omnia viribus nostris, aut ingenii acumini, nihil cælo imputamus. Magne rerum Arbiter & Conditor, guberna me Spiritu tuo Sancto, ut profundo Te atque sincero semper colam animo, semperque immensæ

mensæ tuæ gratiæ memor, ex omni pectore dicam: Et vita mea, & omnis gloria, & quicquid sum habeoque, id ô Deus, *Muneris omne tui* est.

Formosæ valles, herbisque virentia prata,
Qua vaga muscosis diffugit unda jugis:
Vt lætus vestros oculis contemplor honores,
Et fructus libo tot sacra dona novi!
Purpureas ut cerno rosas, & mitia poma,
Et quod fœtum urget mollis arista decus!
O vobis dilecta diu det lumina Phœbus,
Nec noctes fundat frigida Luna truces.
Macte ager hoc pretio. Sed dum tibi gloria crescit,
Hoc Soli referas muneris omne tui.

(O)

Sol aperit flores. Illo splendente vigescunt
Suaviter, & patulas explicuére comas.
Sol aperit gravidas fruges, spicasque tumentes,
Et profert roseis mollia poma genis.
Muneris omne tui *est, quod pleno copia cornu*
Ventilat, auspiciis munera nata tuis.
At tu magne Deus (quid enim silvisse juvabit?)
Quòd spiro, & placeo, muneris omne tui *est.*

ATTENUANDO DESINIT.

JAm illud immensum & æternum Numen, quod gratiâ suâ illustrat humanum genus, quod omnia movet, omnia moderatur, propiùs intueri luberet, si mentem illam infinitam, ab omni concretione mortali segregatam, humana imbecillitas comprehendere ullâ in re posset. Heic dum nostro perscrutari conamur judicio cælos, in tenues tandem auras elaboratam nostram rationem recedere animadvertimus: veluti turris, quæ celso fastigio se per aërem attollit, tandem se defecisse attenuando agnoscit. Proinde sanctiùs & reverentiùs est, heic judicii deprimere aciem, neque pati, ut inani curiositate se cælis inserat, seque ipsum tandem destituat. Sed & periculosum de tanto Numine inquirere scrupulosiùs, & ea perscrutari arcana, quæ illud sanctissima, & à nobis miserrimis mortalibus remotissima esse voluit. Ut similes hi mihi videantur Gigantibus, qui, ut Poëtæ ferunt, conati sunt cælum oppugnare congestis saxis, quibus deinceps & ipsi justâ deorum vindictâ fuére necati, & audaciæ suæ tulére pœnas. Hi

quoque

SYMBOLUM LIII.

quoque dum exercent istâ temerariâ contemplatione ingenium, propriis suis tandem vulnerantur telis, quæ in cælos emisére; nam & confundi tandem ingenium, & corrumpi judicium, utrumque autem supplicio sibi verti agnoscunt,

scunt: quibus tamen dotibus feliciùs uti potuissent, si modesto atque submisso spiritu de Dei consiliis credere, quàm scire voluissent. Ac præterquam, quod illis cogitationibus incassum laboremus, nostram quoque pietatem destituimus: dum pernicioſâ speculatione occupati, consuminus vitæ nostræ exiguum tempus, quod justiori cultui divino, utilitatibusque proximi nostri destinatum erat; præsertim quum tot aliæ pulcherrimæ sint nobis peragendæ res, quas summus ille rerum omnium Arbiter nobis expressè injunxit. Quin igitur in his exerceamus omnes nostras cogitationes, ut Deū verâ fide amplectamur, eū casto pūroque animo veneremur, ejus gloriam humili mente extollamus, ejus arbitrio & voluntati nos subjiciamus, ejus mandata in amando colendoque proximo impleamus; ut tandem hac ingenii nostri humilitate & innocentiâ freti, solutâ è vinculis corporis sui animâ, Deum propiùs cognoscamus, æternoque gaudeamus obsequii nostri pretio.

Cer-

Cernis, ut angusto per summa cacumina cono
Altus inaccesso culmine surgat apex.
Sed surgendo fugit, tenuesque recedit in auras;
Et dum se attenuat, se periisse videt.
Crede Tibi credenda, Dei mysteria noli
Altiùs ingenio volvere, stulte, tuo.
Si scrutére, leves velut evanescis in auras,
Atque nihil solidi, raptus in alta, tenes.
Inferiùs maneas, dant inferiora quietem.
Plurima scansuris damna minatur apex.

QUID

QUID ILLUD IN ILLO?

IGitur dum ſummum illud, & æternum, neque mutabile, neque interiturum Numen conſideramus, quid miſeri ingenium noſtrum, quid vires cælo opponimus; & velut Deo haud ceſſuri, gloriam divinam nobis quærimus? Minimum candelæ lumen Soli ſereno obverſum, haud lucet, ſed vix ejus parva cernitur flammula, quæ umbram grandiorem de ſe, quàm luminis claritatem ſpargit. Nos, dum noſtram cum Deo comparare conamur virtutem, videbimus umbram pravitatis noſtræ adhuc magis extendi: nam divinæ præſentiæ Sol, ubi illuſtribus ſuis radiis hæc inferiora tangit, omnem aufert obſcuritatem, clandeſtinamque mentis noſtræ detegit ſuperbiam, quæ per inſolentem obſtinationem animata, ſuo ea exequi conatur judicio, quæ longè ſuprà humanam poteſtatem Deus poſuit. Et quid cum Creatore tuo certabis viliſſima Creatura, quæ in ſordibus vitiorum jaces, cujus vires in medio ſæpe curſu intercidunt, cujus robur ac fortitudinem aut levis ſæpe caſus concuſſit, aut proprii judicii error peſſundedit

SYMBOLUM LIV.

dit: cujus denique quantulacunque gloria bullæ aquaticæ similis evanescit, ubi maximè conspiciebatur? At unus omnium regnator Deus, summâ sapientiâ, fortitudine immensâ, bonitate ineffabili gubernat orbem terrarum: omnium mortalium vitam divino numine invisit, omnia sentit, meminit, regit & mode-

moderatur : ipse maximus justissimusque rerum omnium arbiter, cujus gloria nec ruinâ orbis, si illum ipse everterit, nec ullo dierum tempore finitur.

Numinis immensa est, finemque potentia rerum
Non habet, aut primos computat alta dies.
Temperat Oceanum, terramque gubernat inertem,
Et cæli torquet sidera clara sui.
Quem Solem dicas, dum respicit omnia solus,
Et justis lustrat pectora nostra oculis.
Heu mihi quis parvâ de luce superbiat amens?
Hic cælum, & totam lumine complet humum.

(O)

Adspice inexhaustum fœcundo lumine Phœbum,
Et clarum toto grandius orbe jubar.
Adspice & exili flagrantem lumine tædam,
Exiguâ radios spargere luce suos.
Quàm levis hæc Phœbo fulgente est flamma? quis ausit,
Sol, lucem hanc radiis æquiparare tuis?
Tu Deus, es toti Sol unus & unicus orbi:
Nos scintillæ levis, cœlitùs orta, sumus.

SYMB. LV.

SYMBOLUM LV.

ET DURA, ET MOLLIA CEDUNT.

AT consideremus porrò potentiam divinam, quæ humanis in rebus se exserit, maximumque & potentissimum Deum nobis ostendit. Palàm est, cælestia fulgura eâdem faci-

facilitate frangere saxa durissima, quâ tenuissimas penetrant aquas, nullâ asperitate obsistentes. Quid igitur sceptrorum fulgore, & fascium terrore insolescis, humanisque supervectus cervicibus majestatem tuam imperio, minis, suppliciis commendas? Dei est imperium in Reges ipsos, qui fulgore suo æquè terret dissicitque timenda illa capita, ac quos humili in tugurio, suæque affixos humo mortales cernit. Heic æquè magnæ proceræque cedunt cedri, ac quæ terram humili ramo virgulta ambiunt. Atque hunc omnipotentiæ divinæ vigorem, dum omnibus sine discrimine rebus suâ præesse majestate agnoscimus, subit confidentia magna animum nostrum, altiusque erigit, dum animadvertimus, validissimum nobis in rebus cunctis adesse præsidium, nosque gubernari ab illo, cui nihil clausum aut arduum est, qui animis nostris interest, & mediis intervenit cogitationibus; qui vitam mortalium pleno invisit numine, neque malum facinus cujusdam pro nihilo haberi patitur; qui nostram haud ignorat miseriam, nosque validâ manu ex omnibus eripere ærumnis potest, si lubitum fuerit. Neque heic timenda hominum potentia, quum ille regat ac moderetur omnia,

omnia, qui justissimis oculis cuncta adspicit, vesana mortalium consilia destruit, injuriam omnem ultrice irâ castigat, & quicquid voluit, nutu peragit.

Si quatis astriferas metuendo fulmine sedes,
Heu mihi nulla, Deus, fida sat antra reor.
Quid fugiens medio timidum caput occulo Ponto?
Ah ferit & molles missile fulmen aquas.
Quid cupio abstrusâ rupis latuisse cavernâ?
Ah rigidas findunt tela trisulca petras!
Pollet ubique, Deus, tua vis, & omnia cedunt.
Si vis me tutum, fulmina pone, Pater.

(O)

Fulmina perrumpunt rigidas cælestia petras,
Et feriunt liquidas, acta potenter, aquas.
Et duri cedunt, scopulosa Ceraunia, montes.
Et cedit mollis, qui fluit amne, liquor.
Cedit utrumque Iovi. Tua si quoque fulmina mittis,
O Deus, & cælo tela trisulca quatis:
Hæc frangunt rigidas, adamantina pectora, mentes,
Et jubeunt radiis mollia corda suis.
Dura tibi cedunt, & cedunt mollia; cedunt
Parva, tuamque timent nec minùs alta manum.

AB UNO.

SÆpe mecum dubitavi, magisne irascendum esset eorum pravitati, an condolendum tantæ cæcitati, qui primæ rerum omnium originis caussæque ignari, fortè ac temerè humana negotia volvi arbitrantur. At est profectò Deus, qui omnia cernit ac movet, immobilemque rerum humanarum ordinem æternâ lege sancit. Ab uno puncto multæ, imò innumerabiles in Matheſi trahuntur lineæ: neque dignum hac in arte perfici quidquam potest, nisi ab uno illo procedatur. Quod si unicè observatur, veluti verissimum principium, nunquam error opus confundet nostrum, aut certissimæ artis æstimationem prostituet. Eadem ratione, si Deum Opt. Max. considerabimus in potentiâ suâ, in sapientiâ, in rerum omnium gubernatione, fatebimur illum unicum esse solidissimum atque rectissimum rerum omnium principium, unde Mundus hic, & quicquid est, primordia sua traxit. Ac dum nostræ vitæ, quam abs eo accepimus, lineæ ab hoc arcessuntur puncto, dum ad id certissimum centrum omnes nostræ actiones, consi-

SYMBOLUM LVI.

consilia, studia referuntur, certum est, omnem nostram vitam nullo implicatum iri errore, quum certissimum perfectissimumque principium arripuerit. Itaque eludant licet scelerati illi & ultricibus flammis digni, qui omnia sibi imputantes, nullo numine invisi hæc inferiora

censent ; nobis persuasum sanctiore fide est omnia ab uno esse Deo, rerum omnium principio, & regnatore, qui æterna constitutione jussit, ut suum quæque ordinem immutabili lege percurrerent, & diversa præmia bonis malosque sequerentur.

Orditur puncto divina Matheſis ab uno,
Ex hoc principio linea quæque fluit.
Inde tot innumeræ surgunt, quasi fonte, figuræ,
Mensuratque suum circulus inde decus.
Tu Deus es punctum, puncto hoc descendimus uno
Hoc velut ex puncto cuncta creata fluunt.
Sed tu, cuncta uno qui ducis nomina puncto,
Recte erat à puncto linea nostra tuo.

(O)

Qui cælum, & terras, & totum condidit orbem,
Atque unus complet numine quæque suo.
Quem circùm Mundi vastum versatur inane,
Omnia qui secum maximus axis agit.
Dixeris hunc meritò punctum, centrumque salutis,
Ad quod quisque suas fertque refertque vices.
Res mea, spes mea, lux mea, crux mea pendet ab uno.
Pro habitu faciat qualibet ille suo.

SYMBOLUM LVII.

QUIS ALIUS MOVERET?

NOnne ſolius venti vis eſt, quæ molam mole inſignem movet atque volvit, ut ommodum ad generis humani uſus præparet rumentum? Quis enim alius aut artificio, aut anu verſaret grande illud pondus, quod in

aërem exsurgens, solius venti potestati atqu
imperio se permisit? At certè multò minù
fiet, ut debilis & infirmus naturâ homo, quic
quam laude dignum præstet, aut perficiat, ni
validiore illo, & sanctiore Dei Spiritus numi
ne afflatus, ad corripiendos virtutis labore
moveatur. Neque alia vis est, quæ mortaliu
animos movere possit, hominemque ipsum
ferociſſimum & duriſſimum animal agitare, u
res præclaras summâ animi integritate, conti
nentiâ, fortitudine aggrediatur, & felici exi
tu terminet. Nam quòd nonnulli existiment
nihil tam arduum aut difficile inveniri posse
quod haud eorum subjaceat judicio & poten
tiæ, ii demum ex infelici rerum exitu, triſti
que experientiâ agnoscunt, consilia sua ab il
lius aurâ haud fuisse agitata, cujus solius est
movere pectora hominum, ut feliciter negoti
atque actiones suas obeant, ac simul perficiant
Itaque, dum aut consilia sua sine ullo præstan
tiæ effectu diffluxisse, aut se ipsos propriæ for
tunæ clade cecidisse animadvertunt; serâ ni
mis confessione agnoscunt virium suarum im
mensam imbecillitatem, debilitatisque su
pertæsi, ad Deum confugiunt, ut immens
illâ, quâ pollet, potentiâ res humanas mode
retur

etur, ſupremique Numinis validiſſimâ aurâ
noveat animos, qui ſine eâ vi immobiles inu-
ileſque jacent.

Flamen adorandum, ſanctiſſima Numinis aura,
Spiritus, atheriis aura remiſſa locis!
Cujus ab afflatu quondam primordia rerum
Excita, lucis egens explicuére chaos.
O noſtris affles occultos ſenſibus ignes;
Namque potes ſolus corda movere, Deus!
Vento agitur tantùm mola. Verùm pectora noſtra
Tu verſas aurâ, Spiritus alme, tuâ.

(O)

Hæc mola, ni ventis fuerit pulſata, quieſcit;
Atque nihil prorſus, ni moveatur, agit.
Vt ſpirat Boreas, ut ſpirant cœlitus auræ,
Tunc agit officium ſed mala mota ſuum.
Tuque adeò, vires animis qui ſufficis ægris,
Spiritus alme, affles Numine corda tuo.
Vt movear, dignus tu cælo ſuffice vires!
Si ceſſas, moveat quis mea corda, Deus?

MODO MILITET ÆTHER.

APud posteriores Romanos legio era Christiana, quam fulminatricem nomi nârunt; quòd ea illo tempore, quum Quad & Hunni potentissimo exercitu impleviſſen Italiam, precibus ad Deum fusis obtinuerit ut fulminibus, imbribusque acerbis proſtra verit hoſtem, & Latio expulerit. Ex quo ap paret, & audaciſſimas militum manus, & ex peditiſſimas armatorum cohortes, divinâ ab ſente manu, & cælo adverſante, nihil poſſ efficere: quanquam ea, quæ ad bellum geren dum pertineant, plurimo apparatu adſint, & omnia rectè atque cum conſilio diſpoſita victoriam certiſſimam ſpondeant. Deus eſt qui omnia dirigit, qui maximos potentiâ ſu inſoleſcentes Reges dejicit, regna evertit, in firmiſſimos & miſerrimos populos ad maxi mum gloriæ culmen evehit, ut divinæ poten tiæ viribus ſubnixi, hoſtibus ſint metui, ſibi que digniſſimo honori. Neque tu animum de ſpondeas tuum, ſi innumerabiles hoſtium co piæ imparatum te, & omnibus auxiliis deſti tutum circumſiſtunt, ſi ferrum, igneſque & ulti

SYMBOLUM LVIII.

ltimam vastitatem tibi tuisque minitantur. Quippe conticescet hic furor, & in suum arnatus exitium ruet, modò tecum *militet æther*, & Deus causam tuam fovendam suscipiat. At tu, qui vastos tollis spiritus, & vel nvito cælo victoriam polliceris tibi, paulu-

lum exspectat, donec vis illa maximi Numinis audaciam tuam ultrice fulmine castiget, & cælos ipsos in tuum militare exitium jubeat.

Pone catervatas multâ legione phalanges,
Armatisque imple rura reducta viris;
Et castris sint parta suis, niteantque tropæa,
Inque hostile omnis fulminet ira caput.
Heu miser! armipotens si tecum haud militat æther,
Nil prosunt legio, turmæ, tropæa, viri.
At mihi perpetuam nectet victoria laurum,
Si magnus mecum pugnat ovatque Deus.

(O)

Fulmina in adversas quondam cecidêre phalanges,
Inter & hostiles detonuêre globos.
Sic pugnante polo cecidit temerarius hostis,
Et scelerum pœnam supplicium que luit.
Insurgat densis acies stipata catervis,
Adversusque pios orbis, & orcus eant.
Si Deus, & pro me facilis modò militet æther,
Non moror hostiles, si fremuêre, minas.

SYMBOLUM LIX.

QUID HAC ABSENTE JUVANT?

QUod modò symbolum exposui, ex Historiâ desumtum erat: sed ut propiùs ostendam virium nostrarum imbecillitatem, si divina abfuerit manus, arma ipsa & apparatum

bellicum intueri placet, quæ etsi solidissimo ferro aut metallo fabricata sint, immobilia tamen jacent, nullique inserviunt usui, si manus humanæ ministerio haud regantur. Tales nos sumus, si divina dextera se à nostris subtraxit consiliis; neque heic aut virium moles, aut ingenii judiciique excellentia nos adjuvant. Nam sæpè, imò semper accidit, ut præstantissimus ille apparatus, quo mortales rem exoptato insignire eventu sperabant, contrario ac miserabili prostituatur exitu, attonitis tum, & valdè confusis propriæ fortunæ suæ cultoribus. Id enim compertum est, labascere omne judicium, & concidere ipsas vires, quibus homo ad promovendam prosperitatem suam instructus erat, si impietas pervertat illius sensus, ut neglecto divino cultu, altiùs se viribus suis efferat, in eam inde miseriam prolapsus, ut nec ea perpetrare possit, quæ jam subjecta ei fuerant. Et hæc verissima causa est, cur multi inopinato atque fœdo excessu res suas inquinent, quum Deus manum suam illis haud admoveat, humanasque despiciens vires & consilia, res eò pervertat, ut confusô ingeniô multa omittantur, quæ levissimo labore perfici poterant; aut ut illæ ipsæ hastæ, quas ad percutiendos hostes ejecerant, in ipsos vulnerando resiliant.

Ar-

Arma cruentati video fulgentia Martis,
Tela, haſtas, gladios, tympana, ſcuta, pilas.
Aemula fulmineo video tormenta furori,
Sulphureo vaſtos ore datura globos.
Quid tamen illa juvant, uſum ſi dextera juſtum
Denegat, innumeris dextera fœta dolis?
Quid laudo humanas vires? nihil omnia proſunt;
Si magni abfuerit dextera ſola Dei.

(o)

Non vis, non denſis acies ſtipata catervis
Victrices referunt, hoſte premente, manus.
Non eſt arbitrii noſtri. Victoria cælo
Traditur, & nutu ſtatque caditque Dei.
Pugnaces equitum turmæ, peditumque caterva,
Quid ſunt, magne Deus, te retrahente manum?
Tu gladios acuis, tu das in milite vires,
Auſpiciiſque tuis victor ab hoſte redit.

NON TALI AUXILIO.

NIhil navi in vasto Oceano prodest anchora, ubi cælum obscurâ nube obductum, furibunda tempestate fulminat, procellisque horrendis mare inquietat, & navis ipsa hinc inde volutata, antenniſque & velis despoliata, sævientium ventorum ludibrio cedit. Itaque quum *non tali auxilio* se servari posse intelligant navigantes, tremore perterriti, ad aliam opem confugiunt, tensisque ad cælum manibus, divinum auxilium expoſcunt. Nos dum in hac vitâ, veluti in aperto volvimur pelago, pluribus fortunæ casibus agitati, nequicquam ad prudentiæ noſtræque virtutis anchoram confugimus; præsertim ubi justa divinæ iræ animadversio nos insequitur. Quo tempore omnium optimè providebit suæ securitati, qui abjectâ omnium terrestrium rerum spe, suarumque virium depositâ confidentiâ, omnem spem in illo ponet, qui anxietatum noſtrarum haud ignarus, succurrere noſtris miseriis, doloresque & ægritudines tam animi, quàm corporis solus submovere potest. Hoc solum auxilium & præsentissimum & tutissimum illis est,

SYMBOLUM LX.

est, qui humanarum calamitatum fluctibus agitantur: cætera, quæ ab hominibus feruntur, sæpius viribus diffluunt, sæpius inter suspicionem propriamque utilitatem detenta, miseros magis onerant, quàm adjuvant. Nec meliora illa, quæ à corporis nostri viribus,

aut ingenii præstantia arcessimus, quum hæc suapte naturâ invalida, & fato suo impedita, unà cum admiratore & cultore sui homine corruant & collabantur.

Dum ruit, effusis & debacchatur habenis
Aeolus, & pelago prælia sæva movet:
Ventis acta ratis jam scandit ad infima terræ
Tartara, jam subitis fluctibus astra petit.
Quid facias, Palinure, salo, frendentibus Austris:
Sistit inaccessas anchora nulla rates.
Non tali auxilio; *melioribus utere fatis.*
Restat humanam, dum fremit æquor, opem.

Incubuére mari Boreas, creberque procellis
Africus, & tumidum concitat ira fretum.
Non hæc quassatam servat jacta anchora navim,
Et frangit furias, Aeole sæve, tuas.
Heu inflicta vadis, scopulisque allisa fatiscit,
Et lacerata vomit naufraga membra ratis.
Sursum tende manus. Hinc prospera vela carinis,
Hinc jubar, afflictis hinc pete rebus opem.

SYMBOLUM LXI.

NE LINQUAS.

ERgò quum tantus sit Deus, quum gratia ejus nos miserrimos respiciat mortales, quum potentia ejus immensa nos conservet, id tantum abs eo rogandum est, ne nos linquat.

Ani-

Animus noſter, dum ab hoc cuſtoditur, eſt veluti cor flagrans, quod amica manus in nubibus detinet: ſed inferiùs vaſta patet aqua, extinctura illud & oppreſſura, ſi deciderit. Ardemus per gratiam divinam, & amore ejus incaleſcimus: ſed ſi nos liquerit, heic miſeriarum pelagus nos extinguet, heic invidiæ furor nos opprimet, alibi fortunæ rabies flammam conſtantiæ noſtræ patientiæque imminuet. At Deus noſtra conſervat pectora, tueturque illum ardorem, quo flagramus, ſi ad virtutem atque pietatem accenſi, vitam caſtè atque temperanter tranſigimus. Si verò in nefandam prolabimur ſuperbiam, ut propriis confiſi viribus, nec ſupremæ illius manus vigorem æſtimemus; decidimus miſeri, extinctoque veteri igne, multa parturiet lapſus noſter mala, dum ex priſcis virtutibus peſſima gignuntur vitia, & ex ſolita fortitudine aut inconſiderata audacia, aut pudenda timiditas oriuntur. Quare ſi noſtri honoris eſt optanda conſtantia, famæque immortalitas, ante omnia ſimus ſolliciti, ut Rector ille & Arbiter vitæ humanæ, noſtrum permittat pectus in perpetua ardere pietate, ne illud propter noſtra vitia linquens, triſtiſſimo extinguat caſu.

Feli-

Felices animæ, pulchro quas igne calentes
Sustinet æthereis dextera diva locis!
Non vos indomitis extinguet Nereus undis,
Quamvis totum atrox urgeat Oceanum.
Non vos horrisonis condet nox atra tenebris,
Qualis erat, Pharios quæ tremefecit agros.
Non vos frigentes Scythico sub cardine lunæ,
Aut vestrum imminuet Parrhasis Vrsa jubar.
At si magna Dei vos dextera liquerit almi,
Extinguent vestras nox, mare, bruma faces.

(O)

Cœlitùs ecce manus flammis flagrantibus ardens
Cor tenet, inferiùs discolor unda fluit.
Si caderet, tantumque manus pia linqueret ignem,
Protinùs in mediis flamma periret aquis.
Cor, Deus alme, meum flammis melioribus ardet,
Infrà sub tedibus Styx patet atra meis.
Sed tua sancta tenet trepidantem dextera mentem,
Ne cadat, infernis præda futura vadis.

NEC

NEC CURAT, NEC SENTIT AMANS.

PAlàm eſt, cervos tanto inflammatos ardore perſequi cervam, ut nec vulnera ulla curent, nec ullis terreantur periculis, etſi continuo venatorum dolo expoſiti, ſingulis momentis de vitâ periclitentur. Majorem tamen longè amorem agnoſcunt, qui divino incenſi ardore, Deum & Servatorem ſuum unicè ſequuntur amplectunturque: nam etſi quotidie plurimis infeſtentur periculis atque calamitatibus, tamen erecto ſemper in cælum animo, tanto amore adhærent ſuo numini, ut nec duriſſima dolorum vulnera, nec vitæ triſtes curent moleſtias, ſed intrepidè pergant ſacris imminere viis, divinâ præſentiâ beatis. Nempe divina gratia omnem avertit mœroris ſenſum, caſtiſſimoſque ignes inſpirat ſui amatoribus, ut & corporis ærumnas, & ingruentia ubique pericula aut ignorent, aut confidentiùs contemnant. Itaque nihil nobis aut adverſum, aut moleſtum poteſt accidere, dum hac ſacrâ calemus flammâ, dum divinus amor pectora noſtra agitat: nam hoc fervente ardore graviſſimi levantur cruciatus, pericula eluduntur, cala-

SYMBOLUM LXII

calamitatum impetus ſpernuntur. At vobis, quos ille non inflammat ardor, minima etiam damna, parvæque ægritudinis moleſtia acerrimum doloris ſenſum imponent, ut planè confuſi ruatis, & nullâ graviori pœnâ affici vos potuiſſe exiſtimetis. Et fateor, maximum omni-

omnium esse supplicium, ubi divinus se subducit amor: quippe absentia ejus omnes secum trahit dolorum acerbitates, nec quietem ullam, aut lætitiam animo indulget: Sed ô beati, ô felices, quos ille cælestis urit ignis, ut eô incensi vitam integrâ innocentiâ, illibataque pietate transigant, omnesque potiùs injurias, imò mortem perferre cupiant, quàm ut illum in se extingui dulcissimum amorem patiantur.

O amor, ô ignis nostra dulcissime mentis,
Vt flammis torres viscera nostra tuis!
Non ego jam savi paveo discrimina Martis,
Non terrent nostrum mille pericla caput.
Non mihi tela dolent, queis me diverberat hostis,
Nec nostra humanus concutit ossa furor.
Nec curat, nec sentit amans. *O candide Iesu,*
Vre igni semper viscera nostra tuô!

(o)

Exstinguunt socias nec vis, nec vulnera flammas;
Lasus amat cervus, lasus amore calet.
Non curat, nec sentit amans. *Amor omnia vincit,*
Nec tremit obstantes, agmina rauca, canes.
Hunc nihil avertet, nec mors, nec vulnera frangent,
Qui semel æthereo totus amore flagrat.
Non dolor hunc anget, non vis, non vulnera dira:
Namque etiam ex ipso vulnere crescet amor.

SYMB. LXIII.

SYMBOLUM LXIII.

SEQUE OBTULIT UNI.

NIhil tam curandum est Christiano homini, quàm ut uni Deo suam vitam, suasque probet actiones: nam qui Deo & hominibus pariter suo placere cupit obsequio, id sæpè efficiet,

efficiet, ut divinus cultus humano poſtponatur. Uni offerendum eſt cor noſtrum, nec illud cum pluribus dividendum; quum iſtam diviſionem reſpuat cæleſtis amor, qui totum ſibi dari pectus poſtulat. Inter flores laudatur heliotropium, quòd ſe ad unicum convertat Solem, & veluti inferiora faſtidiens, ſe cum eo circumagat, abeuntemque ſequatur. tantus amor eſt ſideris. Hoc quoque agamus in cælum noſtrum intenti, & uni nos Deo offeramus: id unicè curantes, ut omnis noſter amor ſolum eum reſpiciat, noſtraſque actiones dirigat ad promovendam ejus gloriam, & ad fugiendum omne illud, quod ipſius videtur repugnare poteſtati, atque juſtiſſimæ voluntati. Nam ubi rerum terreſtrium amore diſtrahitur mortalium animus, faſtidia eum plerumque cæleſtium rerum capiunt, ut nec voluntati divinæ, nec poteſtati ſeſe æquâ patientiâ ſubmittat; quum validior rerum inanium cupiditas rapiat tranſverſum, ut ferre erubeſcamus, quicquid divino arbitrio ſtatuere de nobis lubet. Pertinax enim ille amor eſt, & quemadmodum rivalium impatientiſſimus, ita obſtinatiſſimus adverſus illum, qui à terrenis eum abſtrahere deliciis, & uni ſibi addicere conſtituit.

ſtituit. At nos iſte iterum flos admoneat, ut uni ſoli ſerviamus, & inter miſeriarum tenebras, inter luctam carnis noſtræ, inter Mundi offuſas illecebras, nos Deo, Soli noſtro, unicoque lumini offeramus.

Sum Clytie, pulchro quondam chariſſima Phœbo,
Quam quoque nunc ſervo, flos modò facta, facem.
Non me ſtringit humus, tantùm contemplor euntem,
Et Phœbum verſo perſequor ore meum.
Seu ſubit Oceanum, vitreis ſeu ſurgit ab undis,
Illa oculis haret dulcis imago meis.
Non mea mortales veniant in colla lacerti!
Hunc ego, non alium diligo caſta Deum.

(O)

Non me ſacrilega flectet contagio turbæ,
Nec meus à cælo devius ibit amor.
Non me tranſverſum rapiet ſcelerata libido,
Ambitioque potens, aut malus error aget.
Non me turpis avaritiæ, nec crimina vulgi
A ſummo jungent, qui regit aſtra, Deo.
Sunt ſacra corda polo. Mentem ſacravimus uni.
Humano eſt potior cœlitùs ortus amor.

TE

TE SOLAM QUÆRIT.

ET sanè nulla res tantam habet vim, vel ad abstrahendum ab terrestrium rerum cupiditate animum, vel ad compescendas corporis delicias voluptatesque quàm amoris divini vigor, qui ubi semel in hominis illapsus est animum, totum sibi illum mancipat, totumque in se convertit ac defigit. De magnete constat, illum filo suspensum, versùs Septentrionem ferri, atque recurrere ad hunc locum, etiamsi sexcenties ad Orientem, aut Occidentem moveris, manuque circumegeris. Pariter amor divinus, si illo ardemus, hoc agit, ut Deum semper unicum anxietatis miseriæque nostræ habeamus confugium, ut illum in rebus secundis respiciamus, illi soli adhæreamus, in ejus honorem omnes nostras actiones dirigamus. Et licet heic calamitatibus turbati nostris ad impatientiam instigemur, heic pravorum hominum irrisione in nostrâ reprehendamur pietate; ab aliis heic ad voluptates, illic ad iram, odium, & avaritiam alliciamur; non tamen mens sanctiore commota igni, à Deo abstrahitur; in quem solum

SYMBOLUM LXIV.

olum cogitationes defigit omnes, quem
num respicit, facilisque ac volens sequitur.
Non hanc malignus pudor ex impiorum per-
uasione productus, qui sæpius magnam in
umanâ societate habet efficaciam, à sincero
Dei sui cultu avertit, non pernicioſus timor,

suâ sæpe obstinatione corroboratus, ullo mo
do abalienat; non deturbat à pietate, qua
piis semper insultat calumnia, & superstitiosi
aut hypocriti exosa nomina affingit. Verta
hanc mentem, utcunque volueris, semper ad
Deum suum recurret, & in hoc salutare de
fixa sidus, nec Mundi illecebras, nec fulgen
tes opes, nec damnosas impiorum delicia
respiciet.

Iam super has terras nostri rapiuntur amores,
Et stella in flammas sufficit una meas.
Hac Cynosura meis fulget dilecta carinis,
Quo trahit, huc timidas verto regoque rates.
Alternus nos urget amos; & fœdere sacro
Magnetem sequitur linea tacta suum.
Cedite terrestres, vanissima nomina, Nymphæ!
Sola Helices noster sidera quærit amor.

(o)

Quò vertas, nunquam magnetica virga quiescit,
Ni procul Arctoum denotet illa polum.
Ast ubi Manalios ea designaverit axes,
Fixa stat illa suô, quo stetit ante, locô.
Haud aliter pia mens nunquam tranquilla quiesci.
Hinc procul ad summum sit nisi versa Deum.
Te solum mihi quæro Deum. Ah illabere menti;
Solus es erranti portus & aura rati.

SYMBOLUM LXV.

IBO, QUO VERTAS.

HAud dubium est, quin ii, qui se hac integrâ pectoris sinceritate devoverunt eo, ab omni exitio interituque sint inco-nes: quum eâ Deus charitate, providen-

tiâ, sollicitudine ducat hominem, ut velut frænô euntem regat, properantem se dar ad interitum retineat, lapsum ex ipsis morti faucibus eripiat. Itaque pia mens hoc incum bere sibi unicum intelligit, ut tantum Recto rem sequatur lubens, eatque haud invita, qu suprema illa manus ducit atque vertit. Ho unum pulcherrimum & sanctissimum obse quium est, quo fit, ut nihil neque incipiat neque perficere conetur, nisi priùs explorat divinâ approbatione, omnium rerum sanctis simâ regnatrice. Ac licet desideria se vari offundant, quibus & corporis servari valetu do, & animi retineri lætitia possint, luber tamen illis abstinebit rebus, quum se ad illa nondum trahi à divinâ manu agnoscat, ne sibi eundum censeat, priusquam voluntas il summa jusserit. Quæ si destinatum tempu humanis admovet desideriis, læti tutique in cedimus, rem inceptam felicissimo event insignimus, & ex minimis rebus ab homin aliàs rejectis, maximam lætandi causam c pessimus; planè ut nullâ fermè ratione enata illam ex improviso hilaritatem, satis con prehendamus. Quòd si verò Deus, haud ig norans affectuum nostrorum pravitatem, nu

qua

quam permittet, ut ea exsequi possimus, quæ am ardenti amore prosequimur, sed ex adverso nos per calamitates, miseriasque & molestias ducere statuit; hoc nihilominùs obedientiâ atque patientiâ nostrâ agamus, ne Ductorem nostrum gementes atque inviti sequamur.

Nulla mora est. sequar & curram celeri æmulus Euro,
Si cursum flectit mollis habena meum.
Non ego Marmaria verear sitientis arenas,
Squallida vel Lybiæ carpere tesqua feræ.
Non montes, Apule, tuos, collesque nivosos,
Aut Scythicum invitus cogar adire nemus.
Ibo, quò vertas. *Nec ero tibi sarcina magna.*
Et docilem facilis dextera vertit equum.

(o)

Quadrupedum doctis regitur genus acre lupatis,
Et vertit faciles, quò cupis ire, pedes.
Ibo, Deus, pariter, quò me tua dextera vertet,
Nec cursum sistent asperæ quæque meum.
Verte, Deus, felixque regas. Qui devius irem,
Optima si semper me tua dextra regat?
Quicquid ago, rege, quæso meos, & dirige gressus.
Et sic me nullus terror & error agat.

SPONTE TUA FEROR AURA.

FUere multi, qui fatum à Deo semel constitutum, aut præveniri subvertique posse consilio humano, aut per imprudentiam anticipari, & nimis immaturè propelli, existimarunt. Sed mihi semper lubuit, fatalem istam dispositionem ac destinationem comparare navi, quæ in portu ventum secundum exspectat; & ubi is spiraverit, spontaneâ fertur aurâ, ad complendum itineris cōsilium, nullo tunc causâ impeditum. Neque hæc instituta poterat peregrinatio, nisi benignô illô & prosperô flante ventô; planè ut ne quidem illud profectionis tempus unâ potuerit anticipari horâ, priusquam afflaret ventus, & aura secundâ exspectantium votis succurreret. Si divinæ providentiæ fatalem dispositionem nec uno antevenies momento, licet consilio sagaci ac prudenti ipsum cælum provocare audeas, aut imprudentiâ & desperatione summum illud decretum lacessere cupias. Et quamquam sæpe videamus, plurimos aut audaciâ nimiâ aut desperatione actos, suam procurasse mortem; tamen nec illam suâ prævenire sollerti

SYMBOLUM LXVI.

ertiâ potuisse dicendi sunt, postquam vitiis celeribusque deditos reliquit Deus, ut morte extinguerentur. Nimirum quos servare illa Numinis vis cupit, his istam tribuit gratiam, ut pietate & metu divinam Majestatem prosequentes, neque temeritate fœdâ fatum provocent,

vocent, aut desperatione extremâ in illud illabantur. At nos neque de nostrâ vitâ, neque de morte sumus anxii, quum ab omni æternitate electos nos à Deo destinatosque credamus, ut adspirante illius gratiâ percurramus illud vitæ nostræ iter, & quò fert illa aura, sponte atque hilares feramur.

At sequar, & facili sulcabo cærula puppi,
Si mentem affabis, Spiritus alme, meam.
Affla, & vel tenui mulce mea carbasa vento,
Leniſque in proram luſitet aura meam.
Non etenim validos desidero mitior Euros;
Si modò vel leviter moveris, ipſe sequar.
Quò fert aura, feror. Nec me superabit eundo,
Qua rapidò trahitur concita cymba Notò.

(o)

Per pelagi fluctus agitata per æquora navis,
Quò rapit Oceanus, quo rapit aura, ruit.
Obsequitur ventis, quò ducit & abripit æther,
Huc quoque, non alio dirigit alnus iter.
Mens pia commoti spatioſa per æquora Mundi
Navigat, & vaſtas fluctuat inter aquas.
Nil agit, alme Deus, Fatis inhibentibus auras.
Te ſpirante ſuum ſponte pererrat iter.

SYMBOLUM LXVII.

NON QUÆRO, QUOD CAPIO.

ADeò Deus, qui ipsa benignitas est, hominem nomini suo devotum amat, ut non solùm largiatur ea, quæ ille suis cupiit precibus, sed quæ longè etiam supra votum &

ſpes omnes fuerant. Hoc quidem Symbolum de piſcibus alatis Indicis, ex aëre in rete volantibus, non ſatis nobis exprimet hujus materiæ efficaciam ; illud tamen abundè oſtendet, quomodo mortales de terreſtribus fortunis ſolliciti, ſæpius majore felicitate ex cælo ipſo recreentur. Video piſcatorem conſuetæ prædæ avidum: ſed qui mox captu præſtantiore lætatur, & ex inſolitâ piſcium formâ, atque excellenti guſtu majorem lucri partem ſibi promittit. At nos contriſtamur miſeri, & in divino laſſamur cultu, ſi non confeſtim ſecundùm noſtra vota ſuccurrat nobis Deus, illudque pietatis tribuat præmium, quod humanâ ſpe deſideriiſque terrenis quærebamus. Sed ille, dum delicias, ad quas noſtris adſpirabamus votis, haud concedit, mox longè uberiori remuneratione cæleſtium bonorum nos afficit, & jam per miſerias & ærumnas nos exercet, ut quod longè præſtantiſſimum eſt, animum noſtrum intumeſcentem ſuperbumque deprimamus, & ad notitiam noſtri perveniamus; jam doloribus & rebus adverſis nos affligit, ut mox jacentes altiùs extollat, fiduciam noſtram in ſe, & conſtantiam expertus. Ita capimus felices,

quod

quod haud quærimus; & dum terrenis defatigamur desideriis, sanctioribus nos muneribus Deus locupletat. Utraque tamen & cælestia, & terrena dona sæpe conjungit, immensâ suâ misericordiâ motus, præsertim ubi cuncta, quæ petimus, voluntati ejus & arbitrio subjiciamus, illudque agamus tantùm, ut ad nominis illius gloriam promovendam cuncta spectent.

Hoc erat, ut voti nunquam damnarer inanis,
Quòd melior reti est præda parata meo?
Vndivagos vasto captare in gurgite pisces,
Squammigerumque mari ducere tento genus.
Sed sursum aërio piscis delapsus ab axe
Involat in nassam, præda aliena, meam.
Quod capio, haud quæro. Sed spem, si dicere fas est,
Sic sæpe eludat præda aliena meam.

(o)

Quid junctis porrò manibus, precibusque pudicis
Ad mea difficilem vota vocabo Deum?
Quod peto, non præbet, nec nostro indulget amori,
Nec desideriis se probat ipse meis.
Quid dixi, haud præbet? cælestia munera præbet,
Dum terrena negat noxia dona mihi.
Non ego quæsivi, capio quæ munera felix;
Namque insperanti contulit ista Deus.

IMPAVIDAM FERIENT.

HIe clariſſimus Amoris divini triumphus eſt, ubi animus eô incenſus, omnes periculorum caſus deſpicit, & tam externis, quàm internis hoſtibus fortiſſimâ conſtantiâ reſiſtit, ut atrociſſimi eorum impetus ſemper impavidum feriant. Non aliter Arx firmiſſimis lapidibus compacta, fortiſſimis tormentorum ictibus minimè frangitur; ſed incaſſum inſiliunt igniti globi, & molem tantam percutiunt. Fortior tamen animus iſte apertas & clandeſtinas inimicorum ſuorum aggreſſiones ſuſtinet; & quanquam ſæpiùs graviſſimi motus minentur exitium, tamen hoc illius redintegrat conſtantiam, & pulcherrimo illo gaudio reficit, quòd perpetuo in Deum amore, inſignem illam fidei ſuæ obtineat victoriam, ut nec inimicorum metuat odia, nec impetus eorum curet. Nonne igitur hæc maxima Chriſtiani hominis conſolatio eſt, pati, & non ſuccumbere: affligi, & non violari: invadi, & non vinci: vulnerari, & nullo dolore dejici? & quod adhuc magis eſt, noſſe omne illud à propitio ſibi evenire Deo, qui ſuâ ope

SYMBOLUM LXVIII.

ope validissimâ demat omnem doloris fervorem, omnem calamitatis amaritudinem tollat, immissasque pœnas adeò mitiget, ut omnes vehementissimos insultus, imperterritô animô sustineat? Sed ad tantum robur per patientiæ insignia documenta pervenit animus, quando

Deus variis dolorum generibus exercet eum, ut firmitudinem induat: qualis ille artifex, qui postquam suum perfecit opus, illud sæpissimè duris manibus corripiens experitur, an valore & robore præstans, in suos durare usus possit: quod ubi cognovit, cariùs conservat atque æstimat. Huc non incommodè traxero Jasonis fabulam, cui cum tot ferocibus bestiis & draconibus dimicandum fuit, antequam aureum vellus, magnum victoriæ præmium obtineret, & fortitudinis clarissimæ laudem reportaret.

Arx innixa suæ, murus circumdata, rupi,
Non timet hostiles, si tonuére, minas.
Machina fulmineas eructet ahenea glandes,
Illa repercussos respuit alta globos.
Ne loca præruptus contemne horrentia saxis,
Et quod sæva ferum verberat unda latus.
Vt staret virtute suâ, majorque periclo,
Debebat molli non patuisse viâ.

(O)

Stat virtute suâ moles, stat ferrea cautes,
Et non castra virûm, nec Iovis astra timet.
Si tormenta boant totis resonantia sylvis,
Nulla vel exigui signa pavoris habet.
Tu Deus es rupes animæ, tu petra salutis,
Omnibus auxilium præsidiumque piis.
Impavidum ferient, Tibi qui confidit, & omnem
In Te spem ponit, præsidiumque suum.

SYMB. LXIX.

SYMBOLUM LXIX.

MOBILIBUS FIRMATA GLOBIS.

INter cætera excellentissima beneficia, quæ hominum generi divinus amor affert, id inprimis numeratur, quòd, qui eô incenduntur, in lubricâ hac Mundi compage fortiter consistant, pravoque circumfusi sodalitio, nec à suâ

à suâ disturbentur pietate, nec ullis injustitiæ improbitatisque vitiis fœdentur. Ipsi sunt Pyramidi similes, quæ rotundis insistens globis, & in ipsâ volubilitate firmata non nutat, aut decidit, licet vel cæli injuriis, & ventorum furori exposita surgat. Quippe tam nobili artificio erecta est, tam solidâ mole globis suis incumbit, ut nulla tempestate quati, nedum præcipitari queat. Et animus, sincero Dei incalescens amore, non polluitur impiorum consortiô, inter quos vivendum est: non grassantibus dejicitur vitiis, quæ se undiquaque offundunt: non à justitiæ detrahitur viis, licet cunctæ immani furore tempestates in eum sæviant. Omnia dum volvuntur, dum Mundus ipse, in quo vivimus, mobilitate & inconstantiâ suâ deliquescit; solus iste in publicâ rerum volubilitate se firmat, tantoque insistit fortiùs, quantò celeriùs & rapidiùs hæc inferiora versantur. Scilicet illa gratiæ divinæ vis est, ut firmet piorum gradum, ubi cuncta tristi casu & prolapsione in exitium ruunt; extollitque inde Deus gloriæ suæ opus, dum inter tot innumeros mortales, qui nefandis occœcati peccatis in omne nefas labuntur, suos adhuc habeat, qui verâ in ipsum defixi fide, ac scelera

lera horrentes, fortes immobilesque consistunt, & neque periculosæ societatis contactu, neque ruentis Mundi illecebris impulsi, à divino amore avelluntur.

Sæpe meam terres, Ratio vanissima, mentem,
Quod pravo & lubrico volvar in orbe miser.
Iam cadit, exclamas, jam fidit pondere lævo,
Excussusque suo turbine lambit humum.
Ast ego, dante Deo, dum volvor, fortior insto,
Et medio semper turbine rectus eo.
Quid mirum, in mediâ si lubricitate triumphem?
Stat firmata suis Pyramis alta globis.

(o)

Pyramis aërios superat qua vertice montes,
Firma stat in mediis & benè tuta globis.
Et me vesana versant commercia turba,
Sed tamen in tanto turbine tutus ago.
Heic nihil est constans, sed cuncta rotantur & errant,
Atque vices varias lubricus orbis habet.
Mens tamen his rebus, pietatis amore, caducis
Firma stat, & stabilem servat in astra viam.

UNIUS

UNIUS AB LUCE.

VEnio nunc ad clariſſimam omnium virtutem, per quam cæteræ fulgent, & digniſſimâ luce ſe commendant. Pietatem dico ſinceram atque illibatam, quæ omnium virtutum prima atque veriſſima magiſtra; cunctas quippe movet & incitat, ut pulcherrimo ſtudio atque ſanctiſſimo fervore ad exequendas res clariſſimas valeant. Ac quemadmodum candela lucens in conclavi multis ſpeculis decorato, ſingulis ſplendorem affundit, & ſuo ex lumine reddit micantia; ita etiam pietas omnibus virtutibus ſuam communicat excellentiam, ut inſigniori emicent ſplendore, hujus unica gariſæ ope. Nam ſine hac nullum ampliùs conſtantia habet nomen, ſed brevi in ſtultam audaciam, aut confuſam contumaciam degenerat: amicitia vel in odium internecinum vel in amorem convertetur veſanum: liberalitas ſive ad prodigalitatem, ſive ad pudendam deſcendet avaritiam; juſtitia aut nimiâ corrumpetur indulgentiâ, aut multâ ſeveritate exoſam ſe reddet. Quid enim ii rectè adminiſtrabunt juſtitiam, qui originem ejus

SYMBOLUM LXX.



ejus ignorant aut protervè contemnunt? quid veram animi constantiam, fortitudinemque jactabunt, qui cæleste illud & supremum robur non induerunt? quid sincero amore proximum prosequentur, qui Summi illius & Optimi Numinis benignitatem illudunt? Sed

&

& vera pietas in pectoris consistit sinceritate, amittitque suæ præstantiæ dignitatem, si aut anxiâ confunditur superstitione, aut externâ inanis devotionis larvâ tegitur. Benignus est Deus, & haud nostræ imbecillitatis immemor, sincerum à nobis tantùm postulat pectus, ut in obsequio ejus & fide perseverantes, integrâ spe exspectemus illius gratiæ præmia, quæ Salvator noster Jesus Christus suâ morte nobis paravit. Qui postquam sanguine suo satisfecit justissimæ divinæ iræ, inania nostra merita sustulit, quibus aut per jejunia, aut ceremoniarum tormenta, aliaque castigationum genera corpus nostrum lacerantes, cæleste regnum nequicquam ambimus.

Viribus Herculeis valeam, invictisque lacertis,
Et clava cedat plurima Lerna meæ;
Inconcussa meum celebret Constantia nomen,
Impavidumque petant publica fata caput;
Et mansueta meam ferat Indulgentia famam,
Et laudet leges Æacus ipse meas:
Nulla tamen vero virtus se tollet honore,
Ni nostrum Pictas fulciat una decus.
Luce illâ fulgente sacros reddemus amores,
Nostraque conceptum pectora Numen habent.
Vt sacra flamma perit, sacri periistis amores,
Sacra nec effigies, qua fuit ante, manet.

SYMB. LXXI.

SYMBOLUM LXXI.

FIRMATQUE, ORNATQUE.

ATque jam teneris in annis imbuenda est pietate Juventus, ut præstantissimo illi fundamento innixa, reliqua vitæ tempora stabili transigat felicitate, illosque gloriæ suæ, ferat

ferat fructus, qui & robur validissimum, & ornamentum pulcherrimum eidem circumponant. Munimentum aliquod fabuloso vallo obductum, ut tam hostilibus insidiis, quàm apertis insultantium resistat viribus, atque adversùs tempestatum vim incolume perduret, fundamenta exigit ex duro lapide constructa, quæ succurrant terræ labascentis fragilitati, & validiore suâ constantiâ perpetuitatem atque decus addant. Nos dum fragili corporis surgimus compage, & in nostram adolescimus imbecillitatem, oportet primis in annis tali firmari fundamento, ut omnium hostium & dolos, & bella, & varios fortunæ casus æquo perferamus animo, pulcherrimaque animi corroborati quiete, haud sentiamus calamitatum dolorem, periculique terrorem. Dixi in teneris primisque annis Juventuti instillandam Pietatem: nam qui tantùm decrepitorum Senum esse putant officium, ut ad Pietatis tranquillitatem confugiant, & in debili ætate, extremoque vitæ tempore, seriâ pœnitentiâ animum vellicent, ii mihi suum ignorare videntur fatum, quod omni imminet ætati, & tam juvenem imberbem, quàm desolatum annis senem rapit. Neque audiendi illi, qui pieta-

pietatis ſtudium moroſum nimis & auſterum putant, eoque humanum animum ad triſtes tantùm timidasque nutriri cogitationes ſtatuunt: adhæc ipſos pietatis cultores ſæpius caſtigari rebus adverſis, quàm alios objiciunt. Etenim ut priora prætermittam, quum alibi jam de his à nobis dictum ſit, ipſæ calamitates, etiamſi arduæ, inſerviunt etiam ad corroborandam pietatem, proſpero ſemper exitu præclaram. Non autem grave ſupplicium eſt, temporali hominem lædi violarique calamitate: ſicut hæc non magna eſt felicitas, terreſtribus abundè frui opibus, & fragilibus uti deliciis; quum finis ſolùm opus firmet atque ornet.

Vt ſolidè perſtet cunctis immota periclis
Mens pia, mens nullis concutienda malis;
Fundamenta locet Pietas, fulcrumque miniſtret,
Et ferat adverſis integra rebus opem.
Sic moles ſurgit quadrato terrea ſaxo,
Fundamenta gravis dum tenet ima lapis.
Nulla dies, hanc nulla poteſt abolere vetuſtas,
Sed benè nixa ſuo robore tuta manet.
Firmat & exornat. Quæ tandem pulchrior eſt laus,
Quàm ſi conſpirant robur, & omne decus?

STAT

STAT MOLE SUA.

CÆterùm illi, qui primos annos pietati consecrant, ubi primæ huic virtuti adolevere innutriti, deinceps maturiore ætate, dignissimâ laude vivent, vitamque transigent robustâ pietatis constantiâ insignem. Adhuc hodie conspicimus miramurque antiquas Romanorum structuras, ex grandioribus lapidibus elatas, quæ integræ adhuc & inviolatæ, tot annorum injuriis quassari frangique nequierunt. Qualis stupendus ille pons, quem super Gardium amnem triplici fornice insignem fecere; ut esset, qui per divulsos montes mirabilem aquæductum præberet. Sed & hunc, & quicquid Romanorum operum est, tandem ætas consumet imminuetque: at animus pietati deditus; nullis dejectus miseriis, nullis fractus temporum injuriis, mole suâ stabit ac perennabit. Hic vitam insigniet gloriosis rebus gestis, & quæcunque incipiet, omnia felicissimo dignissimoque laudis eventu illustrabit; quum non tumultuariô opere se extulerit, sed fortissimâ pietatis mole virtutes suas stabiliverit. Talem autem pietatem exigo, quæ

sancta

SYMBOLUM LXXII.

ancta est, & scelerum pura, quæ unicum Dei cultum, inde proximi sui amorem intenlit. Nam illa fucata facilè collabitur, quæ xternâ probitatis imagine se extollit, internâ utem superbiâ, invidiâ, odiô flagrat, & ad varitiam, crudelitatem, ambitionem, & quic-

quid vitiorum est, clandestinis consiliis dis cedit. Quadratis saxis consistit illa Romano rum moles, & in nostram ætatem benè com pacta durat. Sed quod heic quadrati sunt lapi des, in pietate est sinceritas & candor; qua virtus ut robustissimam, sic pulcherriman pietatem efficit.

Hæc sunt Romani monumenta stupenda laboris,
Quà rapidas luteus Gardius urget aquas.
Pons ponti incumbit vastus, monteſque revulſos
Diductus triplici fornice jungit apex.
Plurima consumsit tempus, rodensque vetustas;
Hoc tamen intactâ rupe perennat opus.
Nimirum stat mole suâ. *Se pondere fulcit,*
Et ternum stipant grandia saxa latus.
Tu tamen in plures durabis fortior annos,
Cui Pietas molem subdidit ipsa suam.

(o)

Stat pons mole suâ, solido stat saxeus arcu,
Præterlabentes nec remoratur aquas.
Tempus edax spernit, nimboſque notoſque laceſſi
Nec Iovis ætherei tela trisulca timet.
Ille etiam spernit solida pietatis amator
Cuncta pericla sali, cuncta pericla soli.
Conscia mens recti, quæ sunt mortalia, ridet,
Statque velut mediis pons cameratus aquis.

SYMBOLUM LXXIII.

QUO ALTIUS, EO LATIUS.

SIcut eos homines, qui Deo submissâ atque sincerâ adhærent pietate, illis comparare turribus, sive speculis, quæ in alto monte positæ, regionum inserviunt custodiæ, &

quò altiùs sunt erectæ, eò latiùs subjectam terram, adventantesque hostes, contemplantium oculis subjiciunt. Nam dum Deo se propiùs admovit cælo suo proximus animus, hæc inferiora latissimè circumspicit, agnoscitque grassantes vitiorum turmas, hostiumque insidias, quibus fœcunda malorum terra abundat. Tunc à divinâ gratiâ in altum sublatus videt, & simul abominatur scelera, quæ in hoc terræ pulvere hominem exercent: seque tutissimum & felicissimum agnoscit, quòd propiùs custode Deo sua tegi latera experiatur. At ir illud fastigium te extolles pietate & fide, quâ Deus Opt. Max. te veluti in cælum rapit, oculosque caliganti aperit, ut circumfusas latè per terram insidias, fraudes, improbitatisque machinationes animadvertas. Nam qui suo ingeniô & judiciô satis se pollere putat, u omnium montium cacumina verticesque emetiatur consilio prudenti, & pericula cognoscat, is profectò stolidâ illâ imaginatione deIusus, & in summam profunditatem dejectus ne quidem minimam calamitatum suarum videt partem, quibus tamen totus submersus est. Frustrà hic latiùs circumspicere cupit insidias quæ tenduntur, dum terræ suæ affixus jacet

nequ

neque enim illa obſervantur diſcrimina, niſi ab is, qui altiùs collocati, & cælo ſuo propiores, hæc inferiora ſanctiore & clariore oculo perluſtrant.

Perluſtro heic patulos campos, vallesque reductas,
Et mihi tot ſylvæ, tot juga vaſta patent.
Sed neque nubiferi veſtito culmine montes
Effugiunt oculos, lumina cauta, meos.
O fruſtrà inſidiæ noſtris ſucceditis agris!
Non mihi vos colles, non nigra luſtra tegunt.
Altiùs ut tollor, vos cerno latiùs omnes.
Tantùm urgent veſtri tecta ſupina doli.

(o)

Altiùs ut ſurgit, ſubjectum latiùs agrum
Proſpicit, & patet hæc in latus omne Pharus.
Quid dubitas, civis, ſecuras carpere noctes?
Hæc procul inſidias, quæ latuêre, notat.
Sed dum celſa vides ſurgentis culmina turris,
Præſidiumque vocas, edita tecta, tuum:
Te quoque flammigeris infer ſublimior aſtris,
Vt vitia, atque orbis contueare dolos.

TANTUM UNA SUPERSIT.

ILlam Pietatis immensam utilitatem, ea cultus divini commoda, dum propiùs considéramus, quid aut votis nostris convenientius aut desideriis præstabilius est, quàm ut *tantùm una superſit*, quæ nos in cultu divino conservat Ecclesia, & Deo conjungit? Ac cætera rum quidem rerum jactura facilis est, & feren do par: hæc una, si ex nostris decesserit re gionibus, perpetuo luctu æternoque dolor quærenda, quum unicum atque solum robur & ornamentum amiserimus. Nocentissimus ill fluvius est, qui multâ alluvie se supra ripa efferens, camporum villarumque stragem fa cit: sed tum demum veris incolarum lachry mis defletur damnum, ubi ea tempestas in ipſ sanctissima templa incumbit, & sacros illc parietes, religiosumque locum devastat. Lc quor autem non de illâ externâ Ecclesiæ faci quæ speciosâ lapidum strue se commendat, & variis ceremoniarum ritibus inaugurata, vene rationem atque oculos hominum in pariete inanes, aut altarium ornatus advertit. Sed il lam intelligo, quæ in animis nostris consisti

SYMBOLUM LXXIV.

& fide, ſinceritate, devotione hominem Deo ſuo alligat, ut in illius cultu perſeverans, triumphanti tandem Eccleſiæ, quæ in cælis eſt, pars haud indecora inſeratur. Hæc etiam conſiſtit, ubi ipſa templa in ſuas procumbunt ruinas; quippe interna eſt, & Dei manu in ani-

mis hominum ſtabilita, quibus veram ſui cognitionem communicavit. Nec tamen uni loco ita hæret affixa, ut non transferri queat: quum Deus ſæpe ſceleribus irritatus ſacroſanctum illud verbum eripiat nobis, & aliis hunc theſaurum concedat. Heic orandus ille ardentiſſimis precibus eſt, ut puritatem Eccleſiæ ſuæ apud nos conſervet, nos in ſincerâ ejus fide ſuſtineat; quum nihil noſtræ deſit felicitati, quamdiu hæc una ſuperſit.

Non ego, ſæve amnis, quamvis tu noxius eſſes,
Vnda accuſavi crimina magna tua.
Flumine te vidi pleno mea rura ſecantem,
Nec dolui tanti jugera ſorpta ſoli.
Nec gemui indomitis villam ſuccumbere ripis,
Quamvis hæc patrias villa teneret opes.
At nunc dum ſacrâ furor iſte allabitur aræ,
Tantùm, *clamo, feris* una ſuperſit *aquis.*

(o)

Exiit aggeribus ruptis, patuloſque per agros
Effundit rapidas ſævior amnis aquas.
Villarum cum ſtrage trahit pecudesque ferasque,
Et ſternit ſegetes, ruſtica vota, novas.
Iamque impellit aquas, ripisque voracibus inſtat
Templo, atque aggreditur limina ſacra domus.
Parcite fatales undæ! ſi perditis agrum,
Vna hæc ſtet ſanctâ relligione domus.

SYMB. LXXV.

SYMBOLUM LXXV.

INTERIORA PLACENT.

SI ulla est labes, quæ pietatis nostræ sinceritatem contaminet, ea profectò est externa illa larva, quâ homo, quicquid in Dei agit cultu, ad pompam & scenam explicare gestit;

nam qui exteriora tantùm pietatis venditant simulacra, interiorem ejus vim haud capiunt. Multi externâ virtutis religionisque imagine videbuntur insignes: sed internâ mox nequitiâ prorumpente produnt fucatum esse, quicquid magnificè oculis hominum objecerant. Neque enim ad extremum durat exterior illa larva, quum obscuræ illæ artes aperiantur à vindice Deo, qui interiora tantùm amat, ac simulationem omnem abominatur. Ac ille quidem Rex, qui tot sibi dari vovebat Zopyros, quot grana essent in malo Punico, rem pulcherrimam & digniſſimam optavit, quia multitudinem rerum optimarum cum interioris virtutis præstantiâ conjunxit. Neque enim exteriorem pomi considerabat faciem, quæ crasso ingratoque cortice illud circumdat; sed spectabat interiorum granorum dulcedinem, laudabat saporis suavitatem, omnium pomorum nobilitati anteponendam. Itaque vir prudens neminem ab exteriore judicet vultu formaque, quum sæpe dura adspectu & ingrata rem pulcherrimam tegant, ex adverso grata & jucunda exteriore visu, interioribus laborent vitiis, & scrutantem penitiùs, inquirentemque turpiter eludant; quum aliud reperiat, quam

quod

quod videbatur. Nec hoc solùm in pietatis studio observandum, sed in omnibus aliis negotiis, in quibus plerumque illa, quæ externo decore haud se commendaverant, sed rudi initio, gestuque parùm urbano ad virtutem contenderant, magnificâ virtutis famâ se ad extremum sustulerunt: sicut è contrario ii turpiter tandem destituerunt personam, quam ad fallendum speciosis nominibus induerant. Sed mihi, si exterior illa actionum grâtia venustasque me haud commendant, saltem me exornent interiores illæ dotes, quæ in candore & sinceritate animi consistentes, Deum castâ religione, proximumque integro amore, & actiones humanas masculo & robusto consilio respiciant, & nec fallere, nec umbris rerum & simulacris ludere noverunt.

Punica mala suis stagnant uberrima granis,
Quæ pascunt oculos, & simul ora juvant.
Exteriora Tibi, quæ sunt, si fortè proventus,
Gratulor. at nobis interiora placent.
Quid juvat exterior cortex, quid amica coloris
Gratia, si nobis interiora neges?
Pectoris interior virtus, & conscia recti,
Et mens sincera simplicitatis amans:
Hæc mihi grana placent, has primùm respice dotes;
Cætera villosi corticis instar habe.

SIC EXTERNA RUUNT.

QUamvis sæpe Deus, quum sit benignus atque misericors, diu permittat improbitati, ut externâ fronte imponat hominibus, & fucatam sibi circumponat gloriam; ad extremum tamen comminuit eam atque dejicit. Fruſtrà externo cultu ambis famam, fruſtrà ſimulatâ amicitiâ cupis haberi probus: nam ille, qui intimos noſtræ mentis ſenſus inſpicit, nihil patitur eſſe abſconditum, faſſuſque externa illa diſplicuiſſe ſibi, ultrice pœnâ in te animadvertit. Sed nec ſtabile illud ac firmum, quod piâ ſimplicique mente præſidium ornamentumque in externis rebus ponis: quum & ipſa templa injuriis cæli, aut furore hoſtili, aut temporis vetuſtate conſumantur, & tot magnificis ceremoniarum ornamentis polita altaria frangantur. Nimirum non in externis illis parietibus, aut rituum multitudine, ſed in humanis pectoribus cultum ſuum ædificat divinus Spiritus, illumque ſanctitate & obſequiô ſervientium ſuſtinet, ut neque per acerbiſſima tempora, neque omnium tempeſtatum caſus eyertatur At exteriora

SYMBOLUM LXXVI.

teriora illa ruunt, ſicuti collabi videas antiqua palatia, & excelſa delubra, quæ veluti ſenio ſuo fracta in ruinas ſubſidunt; planè ut nec ſæpe locum, ubi ſtetérant, poſteritatis memoriæ ullô veſtigiô reſervent. Itaque non ſtruamus talia monumenta, quibus ſuprema incum-

bere dies poteſt, ut funditùs intereant, ſuisque obruta ruderibus triſte rerum humanarum ſpectaculum præbeant: ſed condamus ea in pectoribus noſtris templa, quæ Spiritus Sancti plena, gratiſſimum Deo præbeant animæ noſtræ ſacrificium, & ſincero cultu, integraque fide, ornamentis æternis & ſacris, conſtantiam ſuam & perpetuitatem ſtabiliant.

Qua, precor, heic video gelida ludibria mortis,
Qua, ſtrepitum paſſu non faciente, venit?
Conſpicio fractas fato dominante columnas,
Conſpicio vacuo rudera ſparſa ſolo.
Sic externa ruunt. *Injuria temporis aufert,*
Et rapit, humanus quod tulit ante labor.
At tu, qua ſacros Pietas moliris honores,
Sola per internum ſtaſque vigeſque decus.

(O)

Exſtruite ingentes, qui tangant ſidera, montes,
Ponite magnificas, ad Iovis aſtra, domos.
Omnia ſera metet nullis prohibentibus aras,
Exitioque ſuo, qua viguére, dabit.
Solus es æternus, Deus optime; ſola perennat
Et pia mens, qua Te diligit atque colit.
Hæc, dum templa ſuis evertit ſedibus ætas,
Interno æternum ſumit ab igne decus.

SYMB. LXXVII.

SYMBOLUM LXXVII.



ET PRODEST, ET OBEST.

MAlum Persicum, quod hisce regionibus sapore suavissimum provenit, diversis pollet viribus: nam pars exterior frigido succo gravis, dum comedentium delectat appetitum,

titum, simul stomachum labefactat: interior autem pars succurrit humanæ valetudini, mitigatque latente medullâ malum, quod ab intemperanti exterioris partis usu adhæsit. Non absurdè hic fructus corpori & animæ hominum assimilari potest; dum enim nostra caro, pars exterior, nos ad persequendas allicit delicias, noxiâ voluptatum dulcedine capti, in graviora incidimus mala, quæ suô nos venenô penitùs extinguerent, nisi pars interior, quæ anima est, nos ad justam pœnitentiæ revocaret medicinam, criminisque dolori succurrens pristinam restitueret integritatem. Ac sunt quidem partes illæ in homine vinculis conjunctæ arctissimis, ut altera absque alterâ consistere hac in vitâ nequeat; sed tamen animus rector atque imperator est, qui quum immortalis sit, & imagini divinæ comparandus, lascivæ semper resistit naturæ, emollitque & mitigat labem ipsam, quæ corpori nostro primis ab initiis adhæret. Proinde & huic soli obediendum, non corporis imperio succumbendum: illud enim hominum, hoc pecudum est, quæ ventri tantùm & corporis cupiditatibus parent. At quum Deus, qui & ipse Spiritus est, à nobis impolluto atque sincero coli velit animo,

nobis

nobis autem in hac imbecillitate viventibus illa haud sit exspectanda integritas, orandus tantùm ille est, ut Christi haud immemor meriti, animam nostram in dies sanctificet, quò & corporis sustineamus fragilitatem, & labe ejus tandem depositâ, cælum castè sanctéque occupemus.

Laudavi quondam transmissa è Perside mala,
Quæ nostro insevit provida cura solo.
Mitia sunt, dixi, sunt mollia, dulcia, grata:
Sed laudes cupii mox revocâsse datas.
Nam pars exterior frigenti torpida succo
In diram solvit corpora nostra febrim.
Sed tantum absolvit rursus pars intima crimen.
Obfuit illa mihi, profuit ista mihi.

(o)

Huc mea mens, illuc corpus me pertrahit: in me
Divisum imperium cum Iove Cæsar habet.
Externa internis pugnant. hæc crimina suadent,
Illa docent vetitum præteriisse nefas.
Solus homo exterior tantis non sufficit ausis;
Ni simul interior subsit, opemque ferat.
Da mihi Sancte Deus, qui tot mihi dona dedisti,
Ut placeant oculis interiora tuis.

PU-

PURIOR INDE FLUIT.

VAstus hic patet Oceanus, in immensam se diffundens aquam: sed exigua illa est, quæ è rupe devolvitur, & cum tantâ undarum alluvie miscetur. Hæc tamen, quia per montium fibras, & tot metallorum vires est castigata ac perpolita, insigni magis claritate excellit, eminetque in vasto illo spatio aquarum, quæ & salsedine, & tot monstrorum impuritate ac sordibus horrescunt. Huic imagini primùm comparare placet animum pium sanctumque, qui in vastum hoc terrarum mare descendit, suâ eminens integritate, licet tenuis exiguusque appareat. Nec mihi tantam impiorum turbam, tantumque objeceris imperium, quum hic inter fœda eorum scelera, impuraque flagitia, sanctiorem innocentiæ integritatisque laudem clarissimus obtineat. Sed & huic fonti labenti ex rupe, & in Oceanum defluenti, assimilare juvat eos, quos Deus singulari gratiâ ad suum elegit cultum; quippe ut aqua illa per abstrusas horridasque montium cavernas, per metallorum tormenta volvitur ac purificatur; sic illi multis pœnis, ca-

- lamitati-

SYMBOLUM LXXVIII.

lamitatibusque exercentur, ut in maximam illam mortalium multitudinem illati, robustiori fide emineant, divinamque gloriam vitâ purâ atque illibatâ extollant. Ita per ipsas calamitates redditur animus purior, & post tot ærumnas,

rumnas, quibus agitatur, hanc sibi pulcherrimam videt relictam gloriam, quòd in immani illâ impiorum colluvie mundior appareat.

AEquora tota negant puras sitientibus undas;
Cur? salsedo maris non satis apta bibi.
Sed rupes medio consistens ardua ponto,
In mare flumineas ejaculatur aquas.
Purior inde fluit *venis salientibus amnis,*
Et relevat cupidam, si bibis inde, sitim.
Totus hic Oceanus, totus neque sufficit orbis,
Vt desiderio sit satis inde meo.
Mens pia divinam sitit arida tota salutem.
Inde, negante mari, purior unda fluit.

(o)

Totus hic Oceanus, totum, quâ cernitur, æquor,
Hanc rupem salsis cingit & ambit aquis.
Non tamen hinc ipsis hæc petra fatiscit in undis,
Ardua sed puris semper abundat aquis.
Stet quocunque loco, tumido stet in æquore virtus,
Illa sibi in medio sufficit una salo.
Si mihi tranquillam dederint mea Numina mentem,
Ipse vel in mediis stabo beatus aquis.

SYMB. LXXIX.

SYMBOLUM LXXIX.

FRACTA TAMEN MELIOR.

EXperimentis comprobatum est, pulverem contusæ margaritæ præsentissimum esse remedium ad restaurandas ægrotantium vires; planè ut & moribundos, & spiritum properantem

rantem ægrè trahentes, refocillare videatur. Ita evenit, ut quæ modò candore suo formaque admirabilis, inter divitias Regum habebatur, jam fracta melior censeatur. Quid Jesu Christo, Servatore generis humani præstabilius? quid ore illo suavius pulchriusque, quod cælitum gratiam mortalibus miseris renunciat? Et tamen ejus corpus, supplicio crucis fractum, unicum omnium nostrarum ægritudinum dolorumque remedium est, quo recuperamus integram animæ valetudinem, vitiis, variisque delictis turbatam. Itaque fide castâ illud sacrificium peragimus in sacrâ cœnâ, dumque languentes animo cælesti illo cibo reficimus, nutrimur ad sanctiorem lætitiam perpetuâ felicitate præpollentem. Ab hoc enim fonte profilit gaudiorum unicum delicium: ab hac origine vera provenit prosperitas, nullo alio loco invenienda: hinc clarissimi isti fructus nascuntur, fuga & detestatio scelerum; sincerus proximi amor, nullo odio diruendus; conscientia bona ac tranquilla, quâ nihil excogitari beatius potest; denique maxima spes, quâ in cælum nostrum intenti, fortiter perferamus orbis terrarum mala, quæ nos circumsistunt, & affligunt. Ut proinde

proinde damnandi semper objurgandique sint, qui sceleribus polluti, & toto animo ægri, hanc salutarem medicinam respuunt; quòd aut gratiæ divinæ diffisi sanctiorem istam putent, quàm ut ab homine multis flagitiis inquinato assumi debeat: aut protervè eam contemnentes, morbi sui magnitudinem vel non intelligant, vel aliis remediis tantam expellendam mali vim existiment.

Candida dum Rubri diffringis munera Ponti,
Parce, voco, tantum, sæve, patrare nefas!
Gemma est, quæ tereti substringet colla monili,
Regalesque illo cinget honore nurus.
Sed dum tanto ager recreatur pulvere fessus,
Atque exhausta novus tendit in ossa calor,
O totam frangas, clamo, manus optima gemmam!
Namque salutarem fracta ministrat opem.

(O)

O quem Te memorem, Iesu pulcherrime! vincis
Formâ omnes, similis os humerosque Deo.
Non æquant tua labra rosa, non lilia dentes,
Non oculos flamma, non ebur omne manus.
Qualis in ore decor! lætæ qui frontis honores!
Quanta nitet vultus gratia blanda tui!
Si tamen hoc homini liceat dixisse misello,
Pulchrior es, Iesu, si cruce fractus obis.

RE-

RENOVAT.

ITaque dum nobis satis constat nostra imbecillitas, & facilis peccandi quotidie levitas, inprimis necessarium est, ut purgato sceleribus animo illô utamur remediô, quo Deus restituendam suam mortalibus promisit gratiam. Optima pictura, quanquam à præstantissimo sit delineata artifice, ubi vetustate atque pulvere afflicta est, multùm de nitore excellentiaque suâ amittit: sed Soli exposita, excellentissimis ejus renovatur radiis; deterſaque immundicie, & antiquitatis situ excusso, pristinum splendorem, pulchritudinisque pretium recipit. Ita & nos sacro illo nutriti cibo, à Sole isto Justitiæ Jesu Christo renovamur, ut excusso veteri homine, qui in nobis regnat, abſterſisque omnibus vitiis, quibus polluti sumus, novum splendorem induamus, Spirituſque Sancti lumine insigniti, vitam pietate glorioſam transigere aggrediamur. Quò magis nos decet, ut veteri labe commaculati & obsiti, nos huic Soli frequenter exponamus, neve in istâ nostrâ impuritate spernamus salutares illos radios, quorum fulgore renovati,

æternæ

SYMBOLUM LXXX.



æternæ felicitatis lumine gaudemus. Ita enim comparatum est, ut sanctissimi hujus Sacramenti usu novam induamus vitam, quæ in sanctitate mentis, in animi innocentiâ, mansuetudine, sinceritate consistit, & nos quondam pravos, vitiisque fœdos emundat, ut Deo

 similes,

similes, Jesum Christum, summum & maximum rerum omnium bonum, castissimâ fide in pectoribus nostris condamus. O felices, qui hæc sacra omnibus anteponunt rebus, & summo in honore habent: sed ô infelices, & in sordibus suis perire digni, qui hoc gratia divinæ monumentum procaciter fastidiunt atque aspernantur.

Ingemui nuper, traxique per ora ruborem,
Quum sordes vidi, crimina magna, meas.
Heu totum innatæ labis contagia corpus
Fœdârant, primi conscia culpa Patris.
Ipsa etiam, turpi tuleram quæ crimina mente,
Sunt objecta oculis, ô malè tecta, meis.
Ast ubi me Christus Cœnâ est dignatus amicâ,
Vna meam potuit tollere cœna luem.
Si malè deformes animi contraxero sordes,
Huc ego; si dignè venero, purus ero.

(o)

Si pictura vetus maculas contraxit inertes,
Turpis & è longo squallet imago situ.
Consilium præsens, radiis solaribus illam
Protinus admoveas; sic nova forma redit.
Sol tabulam renovat, vultusque reducit amœnos,
Et pictura refert, quod fuit ante, decus.
Res comperta. Deus nitidis Sol purior astris
Expurgat maculas mentis, & omne malum.

SYMBOLUM LXXXI.

IN PURO SERVATUR.

SEd nec ad sanctissimum hoc Sacramentum, quô à nostris mundamur vitiis, admittendi sunt, qui irreverenter illud habent, & apertis quotidie sceleribus vitam suam infamant.

Heic animus exigitur contritus, qui veram flagitiorum suorum agit pœnitentiam, & ad unius Christi mortem confugiens, câque se servatum intelligens, tanta Redemptoris sui vulnera novis fodicare vulneribus reformidat: sed ad id unicè vires intendit, ut odia in proximi damnum itura ponat, voluptatibus prohibitis renunciet, & in posterum à peccatis abstinens, Deo castè atque innocenter inserviat. In tali animo servatur rectè cælestis ille cibus, sicut puro in vitro continetur vinum, ut pulchrum nativumque servet colorem, neque eum squallore spurcissimo, aut densâ impuritatis nigredine inficiat. At malè scelerati illi, qui quotidie in suis volutari sordibus gaudent, hanc sacrosanctam cœnam adeunt: quippe fructum & gratiam tantæ corrumpunt cœnæ, & justo Dei judicio non vitam inde, sed æternam sibi damnationem accelerant. Non enim patitur Deus sacrosancta hæc illudi mysteria, quæ profundâ pectoris sinceritate, summaque cum veneratione obeunda sunt, ut dignè morientis memoria Servatoris celebretur. Sed nos examinamus cum tremore vitam nostram, scrutamur conscientiam, dum ad tantæ cœnæ communionem accedimus miseri: neque tamen

men debilitas noſtra, quam in nobis maximam reperimus, abſterret nos, quò minùs perterrito animo, & magnum in luctum abjecto, in conſpectu Dei nos ſiſtamus: quum miſeris potiſſimùm, & magnis peccatoribus hanc paratam eſſe cœnam agnoſcamus. Et quanquam ſæpiùs inter pœnitentiæ noſtræ documenta, noſtrâ victi debilitate, iterum transgrediamur mandata Dei, attamen mox ad benignum recurrimus miſericordemque Deum, qui haud ſervilem poſtulans metum, filiali à nobis honorari cultu cupit, qualis potiſſimùm in obedientiâ ac ſimplicitate pectoris noſtri conſiſtit.

Quid, veſane, capis cæleſtis munera vitæ,
Tantaſque impuro pectore condis opes?
Pectore perverſo, vaſtat quod conſcia culpa,
Et rapit in varium dira libido ſcelus.
Pura placent Superis. nec tanti gratia doni
Polluto proprias pectore ſervat opes.
Ipſa etiam ſqualent generoſi dona Lyæi,
Si purus ſubiit ſordida vaſa liquor.

(O)

Sed quis purus erit, vitæ ſi crimina noſtræ,
Admiſſumque, Deus, reſpicis, alme, nefas?
Quid, ſcelerate venis, dices, divinaque libas,
Nec reverenter adis ora tremenda Dei?
Hei mihi quàm tantæ formido ad fulmina vocis!
Quàm gelidus currit per mea membra tremor!
Sed vindex tantùm proſternet culpa nocentem.
Quem peccaſſe piget, non erit ille nocens. TE-

TENERAS DEFENDO A FRIGORE MYRTOS.

TEneras heic & pubescentes sisto myrtos, quas sollicita tegit manus, ne frigoris inclementiâ rigidique aëris afflatu affligantur correptæ, & enecentur: sed ut grato illo circumamictæ tegumento adolescant securiùs, ac radices altiùs fortiusque agant. Juventutis teneræ adumbro educationem, quam sicut nimius gubernatorum rigor, & ingrata asperitas affligunt, ita lenitas ac mansuetudo tegunt, ut fortiore animata spiritu ad res præclaras crescat. Semper nocuit ingrata illa morositas, quæ sine ullo discrimine, eadem asperitate, tam maxima, quàm minima adolescentiæ vitia castigat, & intempestivo rigore comminuit teneros furculos, qui blandiore curâ fovendi erant. Quippe Juvenilis illa ætas, postquam nimio illo rigore concussa est, aut in nimiam descendit contumaciam, aut in stolidam degenerat simplicitatem: stupefactô per importunam asperitatem ingeniô, ut nullâ deinde ratione tam facilè ad vitia, quàm ad virtutes perferatur. Unde præclari isti tandem fructus proveniunt, ut hi fœdam, tam in moribus gesti-

busque

SYMBOLUM LXXXII.

busque, quàm in verbis ostendant meticulositatem & inconstantiam; illi miserando semper mœrore langueant, ac animi ægritudine quadam naturales amittant mentis vires, nullo deinceps pretio recuperandas: alii suis immersi deliciis terant suos vitæ dies, omnis virtutis &

gloriæ immemores: cæteri obstinatâ ferociâ partim ad crudelitatem, partim ad libidinem, aliaque vitia intemperanter agantur. Nam animus, dum duritate intempestivâ sibi omnes videt occludi deliciarum vias, injuriæ hujus impatientissimus, deinceps liberioribus annis, confuso spiritu suas ita persequitur voluptates, ut nominis sui familiæque honorem parùm æstimans, plurima indecorè committat, quæ aliàs liberiori ingeniô fruitus omisisset. Tunc ex rigidâ tutelâ emancipatus, ubi apertum videt deliciarum campum, præcipiti cursu ad voluptates fertur, seriarumque rerum hostis, se illis intemperanter satiare rebus cupit, à quarum exiguo usu tantum per rigorem hactenus detractus fuit; similis fere iis, qui ubi inquietis vigiliis consumsére noctem, altiore gravioreque matutinô somnô jacturam illam compensant. Aé quanquam ab unâ aut alterâ parte quidquam corrigatur: attamen insitus ex antiquo rigore metus, impressaque animo confusio illud efficient, ut nunquam ad illam gloriosam perveniant vitæ famam, ac ii, qui liberali atque amicâ mansuetudine ad virtutem deducti, liberiori fruuntur spiritu, decorâ suâ generositate gaudentes. Proinde melius est,

frænari ardentiſſima Juventutis deſideria, quàm unô impetu penitùs extingui: melius eſt manſuetudine, quàm aſperitate tenellas illas tractare arbuſculas, ut radices validiùs concipiant. Honeſtâ lenitate conciliatur amor: ſed intempeſtiva moroſitas irreconciliabile ſemper ſecum fert odium, & rem magis dejicit, quàm erigit.

Littora myrtus amat, Veneri eſt gratiſſima myrtus,
Perpetuoque virens ſervat honore decus.
Sed tu creſcentem tueâre à frigore ſtirpem:
Mollior eſt, primis dum nitet ipſa comis.
O quoties cecidit primæ lanuginis annis,
Dum Boreas gelidam ſparſit ab axe nivem!
Dura alias deceant. qua primo flore tenella
Luxuriat, teneram poſtulat illa manum.

MIHI DESTINET ÆTHER.

SAnctiùs autem educatio procedet Juventutis, si Pietatis studium inprimis inculcabitur; quæ ubi semel in animo adolevit, illos secum fert felicitatis fructus, qui hominem verè beatum & fortunatum efficiant. Præsertim omnia vitæ ornamenta exspectet à cælo, neque intempestivis ea ardens cupiditatibus invadat, quum de suâ directè judicare nequeat vocatione, nisi ea jam sit in actu, & Deo placere illam intelligat. Certum enim est, Deum immortalem ex singulis hominum generibus hos ad illa, alios ad diversa obeunda munera destinâsse: de quibus malè judicat homo, dum cupiditatum suarum fervore æstuat; quum Deus imprudentes sæpe, & aliud cogitantes ad clarissimi facti gloriam improvisò excitet, ut ejus solam adfuisse manum, ipse eventus ostendat. At licitum tamen ab illo flagitare ea, quæ nobis nostrum honestâ ambitione agitant animum, ut si ad ejus pertineant gloriam, voluntatique placeant, illa possimus exsequi. Hoc sensu non damnanda eorum cupiditas, qui Majorum suorum æmulari gloriam, & bellicâ

SYMBOLUM LXXXIII.

bellicâ inclarescere laude cupiunt; quum & piè posse geri bellum constet, ubi libertas ac religio defendenda sunt; & tunc sanctè arma induantur, ubi ea Deus destinat. Is dum ex omnibus suis gloriam exspectat operibus, nobis nihil præstabilius consultiusque agendum

relinquit, quàm si nos noſtraque deſideria ſubjiciamus ejus voluntati, illudque petamus, ut ea tantùm patiatur nos exſequi, ad quæ ille nos ſapientiſſimo ſuo arbitrio deſtinavit. Ac cæterarum quidem rerum auſpicia, quæ aliunde ſumuntur, exitu ſuo deficiunt, hoc unum certiſſimum & ſanctiſſimum eſt, nihil auſpicari aut aggredi velle, niſi quod Deus juſſerit.

Scilicet ingentes volvis ſub pectore curas,
Et ſpondes fronti laurea ſerta tuæ;
Impatiensque moræ fulgenti accingeris enſe,
Vt mucrone metas proxima quæque truci.
Sed miſer incaſſum ſævis: non deſtinat æther
Hæc deſiderio lata tropæa tuo.
Nil noſtris agimus votis, cælestia votis
Si non reſpondent Numina prona piis.

(o)

Qui rutilus pendet mediis è nubibus enſis,
Hunc protenſa quidem pollice dextra notat.
Sed nihil affecto temerè, nihil ambio quicquam,
Nec cupidâ mea mens ambitione flagrat.
Non opus, ut quæram, gladium ſi deſtinet æther,
Sponte vel in noſtram decidet ille manum.
Quod pia Fata volunt, certò cum tempore fiet;
Sed ſpe præripiam, quod pia Fata volunt.

SYMBOLUM LXXXIV.

QUÆQUE SUO DECORA LOCO.

INter cunctas vitæ humanæ virtutes, Deus omnibus ferme rebus antepoſuit amorem, ut invicem bonâ concordiâ atque ſincerâ amicitiâ alter alterum colat obſervetque, damna-

tis mutuis odiis infestoque despectu; quum omnes pariter ad decorandam Dei Ecclesiam Civitatemque accersiti simus. Intuemur diversi generis columnas, Ioniis, Doricis, Corinthiis artibus diversas, quæ tamen æquô ornamentô unum insigniunt palatium, dum quæque suô posita locô, suisque destinata usibus, majore excellentiâ auget structuræ dignitatem, præstanti diversitate insignem. Nos quoque, qui non solùm diversâ nascendi sorte distinguimur, sed etiam ingenii artisque imparibus gaudemus donis, oportet despicere neminem, aut proximi nostri expolitas minùs, eminentesque fastidire virtutes, si ipsi altioribus præstamus dotibus; quum & illum suo loco decorum Deus collocet, etsi tantis eum muneribus non ornaverit. Sed & eadem postulat ratio, ne alteri suas invideamus virtutes, & diro hinc livore contabescamus: quum etsi minores nobis adsint dotes, locô tamen nostrô pulchri insignesque stemus. Si me ipsum adspicio, me quibusdam video antecellere virtutibus, quæ alteri haud accessére: sed & me quibusdam implicatum vitiis animadverto, quæ alios non contaminant. Ita quisquis sua bona ac mala possidet, omnesque

nævis

nævis noſtris laborantes, nihil habemus, quod non alter alteri exprobrare poſſit. Quòd ſi tamen te ab aliis diſtinxit divina benignitas, & majoribus virtutum fortunæque ornamentis ſuſtulit, illud ſubmiſſiore agnoſcas animo; teque tanto magis obſtrictum exiſtimes, ne excuſſo abjectoque amore, pulcherrimum ſocietatis humanæ fœdus violes, aut diris odiis illud ſanctiſſimum rumpas conſortium, quo communis omnium Parens Deus nos in hoc terrarum orbe conjunxit.

Multiplici varia ſplendentes arte columnæ
Stantque, manentque ſuò quæque decora locò.
Iones hanc, aliam Dores fecere: ſed ambæ
Non obſcura ſuæ nomina gentis habent.
Quæque placet, ſtat cuique decus, ſtat gratia cuique,
Nobilis & propriâ qualibet arte nitet.
Diverſi diverſa tenent. Sed in ordine quivis
Ecce ſuo pulcher, ſi facienda facit.

(○)

Non eadem lux eſt aſtris, non flumina rivis,
Et varia hic totus corpora Mundus habet.
Non eadem tua dextra, Deus, conceſſit iiſdem
Munera, non eadem gloria rebus ineſt.
Ordine quiſque ſuo, ceu pulchra columna, niteſcit,
Si facienda facit, ſi fugienda fugit.
Tu, quamcunque Deus, me juſſeris eſſe columnam,
Si placeam cælo, ſat mihi pulcher ero.

DI-

DIVERSUS ET IDEM.

QUod pulveri accidit nitrato, ut dispare effectu suas exserat vires, idem in hominum genere observamus, in quo diversi aliique sæpe videntur qui tamen iidem erant. Ac pulvis quidem pyrius nudo impositus lapidi, nulloque stipatus firmatusque vinculo, ubi flammam concepit, sine ullo strepitu noxaque in despiciendum convertitur fumum, simulque evanescit. Idem verò ubi mortariis ac tormentis bellicis demersus est, ferroque stipatus, concepto igne erumpit, horrendoque mugitu in cælum tonans, serpentibus undiquaque flammis, volitantium pilarum procellam spargit, virorumque ac mœnium strage, altoque cinere subjectos latè campos obruit. Priori comparo ignavam mortalium vitam, quæ otio suo ac pusillanimitati inhærens, sine strepitu ingloriè evanescit, nullo virtutis negotio laudanda. Sed posterioris vim adumbrabit homo, quem Deus ad præclara facinora destinat, generosoque agitatum spiritu, egregiis rebus admovet; quibus ille decorè perfunctus, famam roburque virtutis suæ latè diffundit.

Hic

SYMBOLUM LXXXV.

Hic etsi idem cum cæteris sit hominibus, diversum tamen se agnoscit; quum dispar utriusque effectus, illum dignissimæ inserat gloriæ, hunc inter pudendum torporem destituat. Nec tamen in ignavorum numero ponam eum, qui à rebus aliquibus, quarum tractatione alii se extol-

extollunt, naturali quodam odio aversus, nihil potiùs agit, quàm ut se inimico immiscat negotio: nam iste ad alias adspirare potest occupationes, quæ non minorem famam mereantur. Sed id demum damnandum otium est, quod hominem lethali quodam occupat veneno, ut prohibitis voluptatibus immersus, suos vitiorum insaniâ inquinet dies, somnoque & ventri tantùm deditus, instar pecudis, ingloriè consenescat.

Angusto pyrius compactus carcere pulvis
Admoto durum disjicit igne globum.
Vi disrupta volant tremulas fragmenta per auras,
Altaque terribilis concutit astra fragor.
Ast ubi nitratus liber sine carcere pulvis
Ardet, ibi innocuo surgit in alta sonô.
Non vis semper inest eadem validissima rebus;
Sed sua quaque loco convenienter agunt.

(o)

Omnis homo rerum non semper idoneus Auctor,
Nec dignè semper, qua facienda, facit.
Si moveat cupidam divina vocatio mentem,
Viribus instructus tum valet ille suis.
Tunc valet, effectus tunc edit ubique secundos,
Atque vocante Deo fortiter urget opus.
Vis, ut agam Deus alme, voca, Deus instrue mentem,
Et quacunque jubes jussa, vocatus agam.

SYMB. LXXXVI.

SYMBOLUM LXXXVI.

SUOS SERVENTUR IN USUS.

ETiam prædominantes hominum cupiditates; quanquam valido ardore ferantur ad promovendam alicujus virtutis dignitatem, retineri debent, ut deinceps commodiori occasione,

sione, & majori utilitate possint impendi, atque cum laude extolli. Prudens sagittarius lethiferis armatus sagittis, nunquam eas frustraneo usu emittit in aërem, jactuque intempestivo perdit, sed illas adversùs hostes, & feras incurrentes præstantiore commodo servat, & ne situ contactuque corrumpantur, sollicitè in thecâ custodit. Quisquis mortalium honestissimâ flagrat ambitione, ut suam propaget nominis famam, ubi destinatum à Deo tempus nondum illuxisse agnoscit, rectè patienti atque tranquillô exspectat divinam voluntatem animô, ardentesque suas cupiditates ad illud reservat momentum, quo exseri eas suam in gloriam summus ille Arbiter jusserit. Ac tametsi res sæpiùs haud secundùm nostrum promoveantur votum, attamen divina haud emanens gratia, ubi censuerit justum advenisse tempus, tarditatem illam majore compensat benignitate, ac feliciore demum efficaciâ promulgât, quæ nos anticipato fervore in nobis agi sensimus. Quod si verò nunquam permittet, ut affectus nostri suo gaudeant proposito; illud censendum est, adversa Deo nostra fuisse vota, quæ ex amore cupiditatum nostrarum, & imaginatione vanâ susceperamus. Utcunque

que autem placeat Deo, sive maturè, sive serò, sive nunquam nostris indulgere desideriis, quibus ad honestarum rerum actiones famamque adspiramus; id semper necessum est, ut ejus gratiam dejecto atque patienti exspectemus animo, & nos haud invitos servari in eos patiamur usus, quibus divina approbatio nos nostramque vitam destinavit.

Prodiga lethiferas emittit dextra sagittas,
Et volat in vacuas prapes arundo plagas.
Quid facis? hæc usu perierunt spicula nullo,
Nec sunt vulneribus nobilitata suis.
Debebant medios torqueri tela per hostes,
Aut ferri in jugulum, sæva leæna, tuum.
Felix, qui pharetris gestat sua tela recluſis,
Si pavidum terrent justa pericla caput!

(O)

Sunt mihi stridentes lethali felle sagittæ,
Quas tulit in pugnam Colchica virgo trucem.
Has arcu emittam, si me ferus occupet hostis,
Aut ruat in nostrum bellua sæva latus.
Nunc pharetris clausæ tantos servantur in usus,
Seu sera hos tulerit, seu hodierna dies.
Quid, pueri, ejicitis vestras per inane sagittas?
Sæpe immaturus perdidit arma furor.

DO-

DONEC ATTIGERIT.

ADhuc noſtram ſagittæ lubet comparare vitam, ſed tali, quæ ad ſcopum deſtinata, tamdiu per aërem volitat, donec præfixum locum attigerit. Violentiore arcu emiſſa, facilè perrumpit ventum imbremque, qui ſe tranſeunti opponunt: & nec requieſcit, nec moratur in itinere, quum ad ſcopum properet, quò dirigitur à collimantis manu, & torquetur. Nobis ad divinam gloriam collimantibus nihil debet eſſe obſtaculo, quanquam orbis, & quicquid ipſi inſedit malitiæ, huic laudabili ſe opponant propoſito, ſed perſequendum omni ſtudio conſilium, quò ad ſanctiſſimum illum ſcopum contendimus. Si rebus impedimur adverſis, ſi invidia & obtrectatio, pietatis cultoribus ſemper infeſta vitia, ſe objiciunt, ſi ipſa noſtra imbecillitas conſilium fruſtrari videtur; inſtare propoſito lubet, donec id attigerimus. Nec ardorem noſtrum frangent ulla obſtacula, quum preces noſtræ ſagittis potentiores perrumpant occurrentem tempeſtatum vim, & fortiùs per acerbitates ipſas animatæ, ad ſcopum ſuum properent. O

quanta

SYMBOLUM LXXXVII.

quanta gloria est, hoc pulcherrimum consilium insigniore coronare actione, eamque metam attingere, quam animæ nostræ benignissimus Deus posuit! Sed & ille, si minùs feliciter hunc petamus scopum, internâ animi nostri voluntate contentus est, nostræque succurrit

currit debilitati: quæ intercessione & meritis Jesu Christi subnixa, tandem solenni extolletur gloriâ, ultimæ metæ immortali scopo acquisito.

Quàm mea se celeri subducit vita volatu!
Heu ruit, ut nervo missa sagitta suo!
Et volat, & lapsis fugit irrevocabilis annis,
Iamque subit metæ signa suprema suæ.
Nec tamen accuso fluxæ dispendia vitæ,
Si rectè summum tango petoque scopum.
Hoc unum, Deus alme, meæ concede saluti,
Vt digitis fuerim missa sagitta tuis.

(o)

Excusso properè volat irrevocabilis arcu,
Et petit oppositum missa sagitta scopum.
Talis inoffenso cupio contendere cursu,
Quo cupis, ut tendam tramite, magne Deus.
Lex tua sancta scopus, timidos quò dirigo gressus,
Anxia quò mentis torqueo tela meæ.
Improbe, ne nostram remoreris, ut ante, sagittam!
Illa volat, donec tangat anhela scopum.

SYMBOLUM LXXXVIII.

NON DEVIA COECA SECUTUS.

TRitum est, Virtutem in medio consistere; unde & rectô ad eam itinere contendendum, non ad dextram aut sinistram deflectendum; homines sapientissimi præce-

pêre. Nos in orbe terrarum, veluti in densâ vagamur sylvâ, & facillimè à regiâ viâ deflectentes, devia cœca sequimur; dum aut nimiæ nostræ confisi securitati, divinum cultum negligimus, aut superstitioso nimis timore turbati, supremi Numinis gratiæ diffidimus. Ad primum illud vitium plerumque aberramus si nostro nimiùm indulgentes genio, magnitudinem opum potentiæque nostræ intuemur quippe animus hac deliciarum dulcedine victus cupiditatibus suis tantùm inhæret, avaroque acquirendi augendique lucri fervore stimulatus, & planè confusus, sacra & profana insolenter miscet. Tunc facilè rerum terrestrium confidentiâ se erigit, & plenô gradu ad devium impietatis tramitem contendit, rerumque suarum amore seductus contemnit ipsum felicitatum omnium fontem, gaudiorumque optimam originem. Nec levius alterum vitium, ad quod superstitionis pervenitur viâ dum ambitiosâ pietate turbati omittimus solidum robustumque Pietatis iter, & per prærupta ire diverticula gaudemus. Cujus pravi erroris duæ potissimùm causæ sunt; quarum prima est ipsa Melancholiæ vis, quæ plurimis sollicitis cogitationibus divertit mortalium judicia

dicia, ut intempestivè anxii timidique se scrupulosæ adstringant religioni, durâque & rigidâ pietate blandum placidumque Dei cultum commutent. Altera est hypocrisis, quæ originem ex arrogantiâ & superbiâ trahens, simulatum pietatis introducit genus, & internâ diffluens malitiâ, externâ larvâ rigidum pietatis studium præ se fert. At nobis recta illa placet via, quæ sinceritate ac robustâ pietate insignis, nos ad integram atque perfectam ducit felicitatem, nullo unquam tempore violandam.

An ferar ad dextram, patulis ubi semita clivis
Et tumet, & rursus valle frequente sedet?
An tendam ad lævam, raris ubi semita sulcis
Implexo cœcum tramite versat iter?
An mediam calcabo viam, qua tramite recto
Et trito certum calle ministrat iter?
Hoc properè faciam; mediò tutissimus ibo;
Nec fraus decipiet tramitis ulla gradum.

(o)

Vt variis currunt homines ambagibus acti,
Et suus huc illuc quemlibet error agit!
Ille per ignotos calles, cœcasque latebras
Gaudet sæpe suos ferre, referre gradus.
Hic cupit implexo properare per avia calle,
Atque placet nullo semita trita pede.
O felix, recto legitur cui semita ductu!
Dextra tegit vitium, fraude sinistra scatet.

MORTEM DABIT IPSA VOLUPTAS.

QUanta miseria sit eorum, qui suis indulgentes voluptatibus, ventri gulæque obediunt, & corporis se ingurgitant deliciis, admonet nos ex minimis animalculis vilissima musca, quæ butyrum deglutiens, dulci hoc veneno ad mortem nutritur. Nam nefandæ mortalium cupiditates, ubi corporis servitio, luxuique animum mancipârunt, & vires utriusque immaturâ imbecillitate consumunt, & suavi venenô nutriti, mortem æternam sibi depascunt. Nam ubi natura nimio cibo & potu oppressa, aut aliis voluptatibus defatigata perdit valetudinis vim judiciique sensum, tunc & Deo & hominibus ingrata, ad nullum amplius usum apta, pessimo hoc nutrimento acquirit, ut vires ante tempus languescentes, tandem indecoro pereant fato, omnibus mortalibus inprimis præcavendo. Atque hi dum dediti corporis gaudiis, vitam cum belluis communem transigunt, ostendunt animam sibi esse oneri, quum eam per luxum atque ignaviam pessundent, & incultu atque socordiâ torpescere sinant. Quorum tamen conditio tole-

SYMBOLUM LXXXIX.

tolerabilior foret, si veluti pecora, pernicio-sâ libidine capti, vitam silentio transirent, & ut vitam, sic mortem eandem cum iis obtinerent: nunc postquam per voluptates corpus defluxit, anima diro ulterioris mortis pœnæque cruciatu laceratur.

Illecebra infames, turpis mala gaudia mentis,
Et scelerum mater, desidiaque parens;
Cede meis propere tectis damnosa voluptas,
Nec mentem fœdet tetra libido meam:
Non tantùm nocet ira Deûm, nec tela, nec hostes,
Quantùm prava noces mentibus una piis.
Sic dum molle capit temeraria musca butyrum,
Illa voluptatis gaudia morte luit.

(O)

Pascitur appositô temeraria musca butyro,
Inde illi gelidæ causa parata necis.
Pascitur ad mortem. Fugite hinc, latet anguis in herba;
Dum pasci gaudet stridula musca, perit.
Sola nocet, turpisque emitur vel morte voluptas,
Et valet in clades ingeniosa suas.
Sperne voluptates. divis se mentibus æquat,
Pectore qui casto fuevit adire Deum.

SYMBOLUM XC.

QUID JUVAT?

EX iis vitiis, quæ animum à rectâ pietatis viâ abducunt, maximè eminet avaritia, quæ ubi semel in animum influxit, eundem quasi vinculis constrictum alligatumque tenet.

Neque enim noctes dieſque aliis eum agitari patitur cogitationibus, quàm quibus inſatiabilem auri expleat ſitim; ad quod obtinendum miris modis excruciat animum, nihilque penſi habens, eum in maximas ſæpe fraudes impellit, & in perjuria, crudelitatem, omnemque aliam improbitatem fœdè ſeducit. Ac turpius hoc vitium eſt, quòd quum alia deferveſcere plerumque ſoleant ætatis defluxu, hoc vires ab annorum ſumat acceſſione, & in immenſum in ſenilibus quoque animis excreſcat. Unde certè ſi ullum ab ineunte ætate propellendum ex pectore noſtro crimen eſt, hoc ipſum avaritiæ crimen erit: quum ſi ſemel occupaverit animum, evelli nequeat. Quod facile factu erit, ſi nobiſcum reputemus miſerrimam eorum conditionem, quos pecuniæ ſtudium habet; qui in mediis opibus eſuriunt, & quò plùs poſſident, plura inquieto animo expetunt. Et quid juvat omnia poſſidere, ſi abſente divinâ benedictione rectè tuis frui nequis fortunis? Tantalus, eò graviori ſupplicio afficiebatur, quòd & toto corpore immerſus aquis ſedare ſitim, & pendulis ante ora pomis, explere famem nequiret. At ille demum opulentus eſt, qui quanquam externas ſibi affluere

divitias

divitias videat, animum tamen iis non mancipat, sed internum aliquid esse agnoscit, quod locupletem verè hominem reddat. Talis in omnibus externis rebus nullam hilaritatis aut quietis causam invenit, sed fastidit fallacem earum dignitatem, aliasque quærit opes, & splendore, & perpetuitate beatissimas.

Quæ capiti incumbunt, fugientia poma lacessit
Pauper, & in mediis Tantalus optat aquis.
Quid juvat *immergi liquidis humero tenùs undis,*
Si possit nullam pellere lympha sitim?
Quid juvat, *heu capiti ramis hærere gravatis,*
Si fugiant cupidas, aurea poma, manus?
Malo frui paucis, & cælo reddere grates,
Quàm miser in multis semper egere bonis.

(O)

Tandem pœna meo par est inventa furori,
Quo me dira diu cura momordit opum.
Inter opes opibus careo, fulvòque metallo
Plenum vexat adhuc non satianda sitis.
Ora fame pallent, tenuant mea corpora curæ,
Et mentem terrent somnia dira meam.
Tantalus heic ego sum, qui poma fugacia captat,
Cuique vel in mediis quæritur humor aquis.

FRUCTUM, NON STIRPEM AMBIMUS.

NE temerè cuivis exteriori credamus imagini, ipsa hominum levitas & avaritia evincit; quæ dum omnia ad suum dirigit lucrum, tam familiaritatis sanctioris pietatem cum Deo, quàm mutuæ amicitiæ negotia cum homine, ad solius utilitatis regulas metitur. Quales aves illæ, quæ cerasum arborem fructibus insignem catervatim circumvolitant, & stirpem propter escam adeunt, ambiuntque. Multi Deo se consecrant, animamque & corpus addicunt: sed ut terrestribus ille donis compenset pietatem istam, ut muneribus ornet devotos, ut potentiâ, viribus, auctoritate cultores tanti Numinis in his terris extollat. Ipsius pietatis amore pauci istas sibi leges imponunt, ut in solum Deum intenti animum ab illecebris Mundi abstrahant, viamque ingrediantur asperam, & calamitatibus miseriisque pleniſſimam. Pariter multi in amicitiæ sacra transeunt cum aliis, sed ut proprium adjuvent rerum suarum incrementum; quod ubi semel obtinuére, ingrato eos deserunt despectu, quos simulato favore coluerant. In quorum numero potiſſi-

SYMBOLUM XCI.

potissimùm sunt adulatores, qui ex præscripto libidinis, quicquid cum amico agunt, ad commodum & lucrum suum dirigunt. Humilitatem in conversatione & familiaritate affectant, ut tutiùs fraudes condant: serviliter in verba alterius jurant, ut egestatem aut ambitionem

bitionem suam exsatient. Sed haud servant vultum, si suum fortuna vultum immutat: quippe forti prosperæ, non adversæ se addixére. Rursus non absimiles iis avibus, quæ fructibus despoliatam arborem, hyemis inclementiâ torpentem, frigidiùs parciusque ambiunt.

Ecce catervatim volucres per inane volantes
Hac cupiunt faciles figere stirpe pedes.
Non tamen his viduata placet sine fructibus arbor,
Nec stirps nuda suas, si generavit, opes.
Commoda sola petunt; qui pendet ab arbore fructus
Allicit aërias solus & unus aves.
Vtilitate suos populus metitur amores;
Vel calos linquet, si nihil inde capit.

(o)

Vilis adulator nutum se vertit ad omnem,
Blandiloquus linguâ, blandior obsequio.
Hoc agit, ut picto jaceat felicior ostro,
Turgeat & multo vasta crumena lucro.
Incumbant adversa tibi: mox deficit ille,
Languet amicitiæ gratia, languet amor.
Propter opes colimur. si fulvum miseris aurum,
Deseret & magnum turba profana Deum.

SYMBOLUM XCII.

SED NON CORPUS ERAT.

JUvat adhuc sinceram atque falsam amicitiam in hac intueri imagine, & illam statuæ ipsi, hanc ejus umbræ comparare. Illa decoris constructa membris, solidoque metallo compacta, pulchritudine suâ robustâ, omnibus est spectaculo atque admirationi: hæc

ejus umbra, quæ etsi longiore sæpe imagine formâque per terram se projiciat, instar fumi habetur, nulloque firmata corpore, exiguum post tempus aboletur. Multi quidem à simulatâ decepti fuêre amicitiâ, ut falso sinceritatis vestimento obductam, pro verâ integrâque habuerint: sed hæc tandem inconstantiæ vitiô se prodidit, inanique umbrâ submotâ artificium sceleris aperuit. Vera fraudis omnis ignara, sceleriſque pura in sincero consistit pectore, quæ amicis in tempore, & ingravescente necessitate, partim candido consilio, partim aliis remediis succurrit; quæ eadem in adversis rebus, ac in secundis, quum sortem amici communem sibi esse ducat: quæ paritatem in congressu, veritatem in familiaritate postulat; quæ denique nullum aliud emolumentum munificentiæ suæ exigit, quàm ut firma ipsa atque mutuo in amore constans perseveret. Simulata autem nil nisi proprium intendit commodum, magnificisque atque externis ostentationibus repræsentat scenam prolixi amoris; quem tamen in ipsâ necessitate, & rerum mutatione infelici facilè deponunt leves hi amici, tantoque miseros sæpe prosequuntur odio, quanto olim amore coluerant. Et hæc illa quidem

dem præclara amicitia est, quæ nunc apud maximam hominum partem viget : nam qui veram illam apertamque amplectuntur, simplices existimat seculi improbi malitia, eosque demum summis extollit laudibus, qui tempori callidè inservientes, aliud ore, aliud pectore clausum gestant, & utilitate propriâ, fraudibus, diffidentiâ, nomen amicitiæ metiuntur. Sed bone Deus, qualis hic est detestandus vivendi modus? quæ hæc pessima in humano consortio levitas, ut externam simules amicitiam, & internô odiô flagres? Quod ad me attinet, potiùs inter ursos atque leones vitam transigerem meam, quàm inter hos homines, quum faciliùs apertum eorum furorem, quàm clandestinas horum fraudes, operta blanditiis odia, fallacesque risus evitarem.

Sole sub adverso præsens habet umbra figuram
Corporis, at dempto corpore corpus abest.
Umbra levis vacuam sublato corpore formam,
Nil solidi, quamvis forte putetur, habet.
Ut celer abscessit nocturno tempore Phœbus,
Iam brevis umbra fugit, quæ modò visa fuit.
Fraus aliquam veri speciem sub imagine falsâ
Sæpius incautis objicit atra viris.
Sed fugitura brevi, si pressiùs omnia lustres,
Nil adeò solidi, nilque vigoris habet.
Non amo fucatam, nec amas, Deus optime, mentem:
Pectus amas solidæ dexteritatis amans.

ET

ET OBDUCTA LUCET.

VEritas clarissimo comparanda lumini, nunquam extinguitur, aut instar vulgaris ignis consumitur: perpetua enim lux est, quæ nullo obduci tegique potest tegumento, quum omne sibi objectum obstaculum illustribus transeat radiis, Solem serenitate antecedens. Ipsa vera pietatis anima, eam solidâ confirmat virtute, ut aliis justâ dignitate præstantior, meritò omnium prima habeatur: inde & Deo gratissima, qui in veritate suum à nobis exerceri cultum voluit. Itaque quum purissimâ & solidissimâ suâ vi virtutes cunctas commendet, & omnium vitiorum hostis sit; viciissim ab his, veluti infensissimis exagitatur inimicis, dum scelerato flagrantes odio mortales, omni modo conantur eam destruere, nocte suâ & tenebris delectati. Sed neque obscuris, neque manifestis unquam machinationibus oppriment hoc clarissimum veritatis lumen: nam sicuti candelæ splendentis lux nõn obductô velari ita potest pannô, quin suos transmittat radios; ita longè fortiùs excellens veritatis splendor transit nubem illam, quam impietas

SYMBOLUM XCIII.

impietas illi obvolvit. Hæc facilè clandestinas atque secretas aperit nequitiæ insidias, illasque adeò confundit, ut earum scelere penitùs in lucem protracto, quisque agnoscat pravitatis magnitudinem, etsi pulcherrimo justitiæ probitatisque velamento se absconderat. Id enim

divinæ

divinæ placuit justitiæ, ut per veritatem pessima sceleratorum proderentur consilia, illique confunderentur, qui ingenioso crimine acuti, falso artificio tegere animum, & omnia miscere fraudibus studuerant. Quorum obscuram malitiam, fœdasque machinationes manifestat suprema illa veritas, ut cæteri mortales pudendo hoc eventu territi caveant à mendaciorum fraudisque nequitiâ, & sincerè atque piè coram Deo ambulent.

Vndique pratenso candela tapete refulget,
Et spargit radios ad latus omne suos.
Si te posse putas omnem praeludere lucem,
Despis, illa suum mittit ubique jubar.
Non poterit penitùs tolli lux aurea Veri,
Tecta suum spargit semper in astra decus.
Si tegitur premiturque diu, tamen illa resurgit,
Et tandem è nigrâ nocte sepulta redit.

(o)

Sperabas, mea mens, multâ te tollere laude,
Si fraus ingenium verteret usque tuum.
At veri nequiit tolli lux candida sancti,
Confuditque artes pœna severa tuas.
Incorrupta fides, & fallere nescia virtus,
Semper honoratum tollit in astra caput.
Sis recti verique tenax. hæc gloria nunquam
Deserit Auctorem, si moriare, suum.

SYMB. XCIV.

SYMBOLUM XCIV.

OMNES DIFFUGERE UMBRÆ.

QUamobrem nemo falsam illam induat opinionem, illud facinus nocte atque caligine obrutum iri, neque ullo unquam tempore ex tenebris emersurum, quo improbè flagitio-

flagitioſeque animum fœdavit. Habent peccata hominum atque flagitia ſpectatorem & vindicem Deum, qui tecta & inulta ea eſſe non patitur, ſed cuncta illuſtrat, ut noſtra ab omnibus cupiditas, ſcelus, improbitas, audacia manifeſtò teneatur. Nihil opertum adeo eſt, nihil adeò abſconditum, quod non iſte videat, non obſervet, non puniat. Quis umbram ſuam, noctemque ſatis teget, ut hoc fulgente Sole non agnoſcantur? Et quum eam Solis iſtius, quem quotidie orientem occidentemque conſpicimus, vim eſſe videamus, ut incultos obſcuroſque intret parietes, & ſereno lumine omnes umbras diſpellat; quâ ſecreti fiduciâ Creatorem illum rerum omnium, Rectorem, & Arbitrum fallere nos poſſe exiſtimabimus? At amemus diem, quum lucis ſimus filii; amemus veritatem, quæ à quocunque eſt, certè à Deo eſt; fugiamus dolos, fraudes, injuſtitiam, cæteraque noctis opera, quum hæc magnas peccati pœnas ſecum trahant. O quam miſerrima hæc eſt vita, quæ compreſſa ægritudine, non vitalem haurire auram, non jucundum perferre Solis ſplendorem, lumina oculorum violantem, deſiderat! Sed longè majori calamitate lacerantur ii, qui in

in perjurii, fraudum, injustitiæque tenebris jacentes, nefando metu fugiunt veritatis lumen, neque se ostendere audent illi, quæ præsentiâ suâ detegit ingeniosissima etiam scelera, quanquam securô admodum tegumentô obducta videantur.

Nox erat, ut turpi mea mens obnoxia facto,
Permisit sceleri frena soluta malo.
Vtque solet pavidum nox atra accendere furem,
Credebam tenebris crimina tecta suis.
At Deus occultam detexit lumine labem,
Pœnaque spectandum præbuit ipsa nefas.
Ne tibi celanti fas sit peccare; sceleſtum
Adspicit, & punit crimina tecta Deus.

(o)

Diffugiunt umbræ, mediô si Phœbus Olympô
Splendeat, & summo tramite findat iter.
Tunc latebras, tunc antra subit, piceasque cavernas,
Et radiis penetrat lustra profunda suis.
Hos quum tu videas Solis, mens nostra, triumphos,
Quid celare putas te potuisse Deum?
Condere ne credas tua te peccata tenebris;
Est Deus, occultos qui vetat esse dolos.

TA-

TAMEN EST CONSTANTIA MAJOR.

MUndus ſerpente circumvolutus ſapientiâ indicat humanam, quæ ex acri judicio, ingenioque alto profluens, rectè vitam civilem ordinat, periculorum diſcutit caſus, & prævidendo ac providendo fortunam ſibi fingit. Quæ etſi ſemper optanda ſit à Deo, ut illâ freti, rectè vivamus, cæterisque prævalentes arte & judicio mortalibus, dignâ extollamur laude; video tamen à ſupremo Numine aliquid adhuc impetrari poſſe præſtantius, quo vitam verè beatam efficiamus. De conſtantiâ loquor, quæ virtus cæteris longè major, nos in perpetuâ continet pietate, abſtinentiam noſtram confirmat, juſtitiæ curam tuetur, omnibusque virtutibus robur & perpetuitatem communicat. Quid mihi prodeſt, ſi ſapientiæ prudentiæque laudibus cæteros antecellam, & tandem turpi levitate, vitiorumque labe extremos vitæ dies inquinem? ſi levi dolore, aut calamitate preſſus; à pietatis juſtitiæque ſtudio dimovear? ſi in fidei ſacræ deficiam negotio, cujus conſtantia nos inſerit cælo, & beatiſſimos reddit? Mihi quidem

ſatius

SYMBOLUM XCV.

ſatius erit, ſolâ fidei hujus conſtantiâ, ac laude ad ſacram properare æternitatis tranquillitatem, quàm humanis illuſtrari factis, quæ nullam in morte afferunt conſolationem, quum ſuæ tantùm ambitionis laudibus valida, vanam nominis gloriam poſteris relinquant. Ac in cæteris

cæteris quidem rebus inconstantiam excusaverit humana imbecillitas, quæ sine prolapsione non consistit: at illa levitas semper damnanda, semper detestanda est, quæ fidei sacrosanctæ constantiâ excussâ, pietatem hominum religionemque tempori accommodat, variumque ac mutabile pietatis genus introducit. Mihi hanc solam concedat laudem Deus, ut perpetua mea in ipsum sit fides, eâque gavisus ex hac vitâ ad exoptatissimam illam demigrem felicitatis gloriam, quæ fideles constantesque in cælo manet.

Terris circumfusa regit Prudentia Mundum,
Et vastum serpens circulus ambit opus.
Hac velut hydra potens totum complectitur orbem,
Et fovet auspiciis Regna laresque suis.
Sed licet hæc præstet, tamen est Constantia major,
Si micat ex factis omnibus illa tuis.
Sola refert palmam Constantia, sola triumphat
Iugiter, & nostrum sola coronat opus.

(O)

Hoc stamus, Fortuna, loco. Constantia nostra
Ingenii vincit prælia cauta tui.
Quid vis, ut metuam, quum me quoq; sidera cingant,
Et mihi supremi splendeat aula Dei?
Quo recubant Reges, hoc tegmine claudor eodem,
Et mihi, qua summis Regibus, astra micant.
Quid moror hunc orbem, dum conscia Numina servo?
Cui præsens Deus est, nullibi solus erit.

SYMB. XCVI.

SYMBOLUM XCVI.

SE INTRICAT.

INfeliciter muſcis ea cedit temeritas, quâ in aranearum telam imprudentes ſe demittunt: nam filis implicitæ tenuiſſimis, curioſitatis ſuæ luunt pœnas, correptæque ab in-

fidiante aranea, ad pastum mactantur. Sic documento ipsis sunt hominibus, quàm celeriter in suum ruant interitum, qui ex merâ petulantiâ animique lasciviâ se iis immiscent rebus, quæ & tractatu difficiles, & contactu periculosæ, neque utilitatem, neque gloriam, sed ex adverso certam perniciem afferunt. In quorum numero primùm sunt, qui judiciô suô perscrutari arcana Dei, eaque suæ subjicere rationi aggrediuntur: digni, quos in his speculationibus corripiat divina vindicta, & confuso animo spirituque prostituat. Quàm multos illa sublimior cognoscendi aviditas præcipites egit, iisque intricavit negotiis, & simul perdidit, quibus judicii sui sapientiæque famam extollere statuerant? Sed & ii, more muscarum, se intricant, qui tritam vulgaremque fastidientes viam, in rebus civilibus præcipitia tantùm amant, illisque temerè se immiscent negotiis, quæ sicuti auspiciis suis ardua, ita eventu periculosa, tristem cultoribus suis exitum relinquunt. O quot Sejanos hæc ambitio evertit, populoque præbuit ridendos; qui feliciter lubricam illam negotiorum civilium calcâssent viam, si tuta, præsentia, & obvia, quàm periculosa, ardua, & ambigua

ambigua elegissent! Semper sanè nocuit difficillimis & à captu suo remotis se implicuisse negotiis; quibus vir prudens facilè abstinendum censet, quum latissimum satis habeat operum, & honestorum laborum campum, in quibus salvus sospesque ingenium suum atque virtutem exercere possit.

Dum gracili solers discursat aranea filo,
Et leve deserta sub trabe nectit opus;
Musca vago tenuem lustrat pede stridula telam,
Subtilique alas intricat hausta domo.
Quam properè implicitam velox invadit Arachne,
Et prædam cupido lancinat ore suam.
Discite subtilis vitare pericula tela!
Tutior est, solidam qui pede calcat humum.

(o)

Me quoque, quum trito sorderet semita calle,
Insuetum & præceps carpere juvit iter.
Magnarum aggredior perplexa negotia rerum,
Consilioque placent ardua quæque meo.
Sed nimis infido suspensa negotia filo,
Vix tetigi, & nostras implicuistis opes!
Sic ubi subtilem temeraria carpsit Arachnen
Musca, revincta pedes, triste pependit onus.

FACILIS DESCENSUS.

VIrgilianum illud est VI. libro Æneidos :

facilis descensus Averni,
Noctes atque dies patet atri janua Ditis :
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Nobis id verissimè de iis dicere lubet hominibus, qui omnis pietatis immemores, in cuncta vitia atque scelera præcipites ruunt; facili quidem descensu, sed ex quo revocare gradum, operis maximi laborisque semper fuit. Lupus aviditate capiendi anatis incensus facilè capitur; nam fallaci affere, cui præda infixa hæret, excussus in foveam decidit lapsu præcipiti, quem frustra diro deplorat gemitu, frustra inani saltu revocare studet. Multos ardens animi cupiditas provexit ad gravissima pericula, & simul dejecit: nequicquam postea Deûm hominumque invocantes fidem, & temeritatem suam accusantes, quâ deducti eò sunt, quo se extricare nequeunt. Quàm facilis eorum lapsus est, qui terrestrium bonorum amore capti, & avaritiâ occæcati, dirâ habendi cupiditate æstuant, & in omne nefas

provol-

SYMBOLUM XCVII.

provolvuntur? Quàm facilè suaviterque pereunt, qui voluptatibus dediti, inter vanas corporis delicias vitam traducunt, animamque cum corpore interire putant! Quàm non gradu, sed præcipiti cursu ad suam properant perniciem, qui conculcatâ sacrâ religione,

omnique divino metu profligato, auxilium suum à propriis petunt viribus, & cælo convitium faciunt! Atque horum mors demum ostendit, quàm facili lapsu in profundissimum miseriarum barathrum deciderint, dum diverso itinere à nobis, ad æterna supplicia se perveniisse animadvertunt, unde nulla illis liberatio exspectanda. De mustela scribitur, mori illam malle, quàm fœdari luto, quod sibi circumfusum cognoscit. Hanc bestiolam imitari lubet, potiusque vitam effundere, quàm impiis terræ deliciis inquinare animam placet: exorato precibus nostris Deo, ne nos vitiis permittens nostris ad æterna inferorum supplicia sedesque delabi nos patiatur.

Deceptum cœco fovea qui cernis hiatu,
Et frustrà optantem patria tecta lupum:
Siste pedes! passim similes ager abdit hiatus,
Et furvos laxat semita trita lacus.
O quoties tutus, dum spernit verba, viator
Excussus facili tendit in antra pede!
Nempe est descensus facilis, sed surgere in auras,
Et revocare gradus, hoc erit artis opus.
Hæc gemit, exanimemque citatus anhelitus urget,
Et frustrà quærit jam lupus inde fugam.

SYMB. XCVIII.

SYMBOLUM XCVIII.

PERITURA VIRET.

QUanquam sæpius videamus, impiis maximas opes affluere, fortunas cumulari, singula ex animi succedere sententiâ, ad extremum tamen, serâ prodeunte pœnâ, feralem

illam exitialemque fuisse felicitatem comperimus, quum subitâ cultores suos eversione, supplicii dolore, & longo cruciatu mulctet. Neque enim illa diuturna esse poterat felicitas, quæ vitiis sceleribusque superstructa, verum pietatis fundamentum, quod solum æternum est, haud sibi substraverat. Quin florent impii, ut pereant: quemadmodum perituræ virent arbusculæ, quæ in ruinis & ruderibus veterum ædificiorum crescunt, jamjam casuræ, ubi parietum istorum fragmenta per fragilitatem & infirmitatem soluta, corruant. At constantiùs virent in decus suum arbores, quæ robusto solo insitæ, latiùs spargunt radices, & adversùs tempestatum vim fortissima statione se firmant. Quales pii sunt, qui solam suam in Deo collocant fiduciam, & in illo vivere, in illo florere cupiunt: relictis terræ amoribus, qui animum dulci pascunt fortunarum imagine, ut citiùs eum opprimant. Atque sicut contingere vix potest, ut, qui totum vitæ suæ tempus libidinibus suis explendis consumserint, non etiam celeriter similem reliquæ vitæ exitum consequantur: ita ex adverso necessum est, ut felicitate & morte sanctorum decedant, qui vitam sanctè atque inculpatè his in terris exege-

exegerant. Itaque quum impiorum memoria suis tumulata jaceat ruderibus, & ad damnationis scopulos allisa tandem eorum fortuna fatiscat; pii in cœlo cum reliquis beatorum mentibus æternum agunt ævum, virentque nunquam perituri.

Si resupinatis procumbent atria muris,
Atria ruderibus mox tumulanda suis:
Tunc simul arboreos involvent rudera fœtus,
Qui viridem in saxis explicuére comam.
Sic peritura viret muris labentibus arbor,
Nec manet inde suo, quo stetit ante, loco
Floreat, & multo mens impia surgat honore!
Nil equidem invideo; nam peritura viret.

(o)

Impius ipse levi prostratus turbine rerum
Corruit, & fato præcipitante ruit.
Quid mirum? viret hæc muris nutantibus arbor;
Destituitque illud fusa ruina decus.
Stat pius, & solidâ nixus pietate fideque
Despicit adversas, si fremuére, minas.
Fundamenta fides posuit, quibus integra virtus
Durat ab intritu tuta futura suo.

PA-

PARITERQUE PERIBUNT.

ILlud verò mirandum simulque deflendum, esse plurimos, qui quum nihil in rebus humanis tam arduum, tam magnificum robustumque cernant, quod non perfringat mors, & ætatis cælique injuria subvertat, perituris tamen monumentis consecrare gloriam suam, & propagare clarissimam nominis famam, anxiè contendunt. At solus animus immortali naturâ præditus est, & incorruptus permanet: qui si probitate, integritate, innocentiâque se commendaverit, nobilissimum in animis posterorum erigit monumentum, quod omni ære perennius, nullo mortis imperio quati delerique potest. Ex adverso illi, qui superbâ ambitione accensi, cupiunt esse famâ inclyti, & ad amplificandas potestatis suæ vires, ut iis æternam laudem sibi pariant, omne ingenium omnesque curas intendunt, & justitiam fidemque imperii gratiâ violari impunè posse existimant nunquam sibi perpetuum posuére monumentum, sed cum perituris rebus suam quoque periisse gloriam ostenderunt. Nec absimilis eorum fortuna, qui voluptatibus dediti satis se ad æternitatem nominis obtinendam contulisse existimant, si in splendido marmore, de-

coroque

SYMBOLUM XCIX.

coroque sepulchrali monumento positi putrescant; perinde ac si non ipsa saxa cum ossibus ipsis quotidie mori videremus. Sed Deus est sola rerum omnium vita, qui ubi haud propitius nostris adest cœptis, & cælum, & terra, & quicquid est, ad exstirpandam nomi-

nis noſtri famam conſpirant: incaſſumque laborat is, qui hunc fortunæ gloriæque ſuæ non habet auctorem, & tamen ad nominis perpetuam graſſari famam cupit. Itaque monumentum noſtræ gloriæ ſit confidentia in Deum, ſit vita ſcelerum pura, ſit animus cæleſti amore captus; quibus freti, ipſa æternitatis conſtantiâ donabimus nominis noſtri gloriam, ſpretiſque vanis magnificæ ſepulturæ lapidibus, majori atque præſtantiori fruemur laudis perfectione, quàm ii, qui in media opum potentiæque majeſtate, ſplendorem cum gemitu relinquunt.

Hæc etiam noſtram ludit veſania mentem,
Vt cineres cupiam condere ritè meos.
Felicem voco, quem dives fortuna ſepulchri
Mauſolum claro marmore in aſtra vehit.
Sed vah ſpes fluxas! nam vos periiſtis & oſſa,
Et buſta, & tumuli limina vaſta ſacri.
Sat pulchrum ſervat tumulum, qui tradit Olympo
Mentem, & vel nuda corpora linquit humo.

(O)

Illa ſepulchrorum latè monumenta niteſcunt,
Inſcriptiſque tegunt oſſa ſuperba notis.
Omnia fatalu, ſi venerit hora, peribunt,
Tranſit honor, tranſit gloria, tranſit homo.
Mens piæ, quæ ſeſe velut extulit ales in altum,
Effugit extructos non peritura rogos.
Sola triumphales hæc ſcandit ad æthera currus,
Poſtque ſuos obitus ſola ſuperſtes ovat. SYMB. C.

SYMBOLUM C.

HÆC ME POST FATA MANEBAT.

TRistem quidem atque funestam heic mortis intuemur imaginem, dira facie terribilem, & tam oris rictu, quàm oculorum vacuitate pertimescendam: sed ubi lugubre illud

in Christianis, & sinceræ pietatis hominibus consideramus spectaculum, mox pavidus ille mentis nostræ horror aufugit, dum relictam terrarum miseriam, & felicioris vitæ initium significari nobis illo animadvertimus. Et quanquam corporis animæque separatio dura, violentusque videatur sensuum abitus, præstantissima tamen hujus demigrationis ratio nos ad insignem potiùs excitat lætitiam, quàm in fœdo continet timore, quem amor vitæ terrestris, & innata debilitas plerumque commovere solent. Tunc etiam non cogitatione solùm, sed oculis ipsis accipimus, corpus hoc nostrum tantopere à nobis cultum, & in deliciis habitum, nihil nisi fœtidum cœnum ac funestum esse pulverem: simulque inde recordamur gravitatem delicti, & obstinatam primorum Parentum inobedientiam, quâ pœnas meruimus hæreditariâ culpâ, easque nostris intendimus sceleribus, ut morte dignissimi essemus. Sed laudetur in æternum amor divinæ gratiæ, laudetur immensa ejus misericordia, quòd nobis & Parentum labe fœdatis, & ex nostrâ petulantiâ graviter delinquentibus, adeóque omni gratiâ indignis, propter Jesum Christum ingentia nostra condonave-

donaverit flagitia; ut dum minima adhuc pars bene meriti supplicii restat, eam per exiguos mortis dolores absolvamus, simulque illâ ad æternam summæ felicitatis vitam discedamus. Planè ut mors fidelium non ampliùs sit pœna peccati, sed felix tantùm transitus ad vitam cælestem: quum animus, ubi corporis vinculis solutus est, liber & gaudio plenus ad Deum suum contendat. Itaque dum inter corporis solvitur dolores, dum abitum parat, jam spe sanctissimâ præcipit gaudium illud solidissimum, & ex calamitosâ ad felicem demigrare se vitam lætatur. Loquor adhuc de piis, quibus exploratum atque certum est, non totum in morte interire hominem, sed animam, meliorem partem, rectà proficisci ad Deum, ut præmiis innocentiæ atque probitatis suæ fruatur. Quod parùm ab iis observatur, qui ad mortem, tanquam rem maximè terribilem trepidant, cælestesque honores terrenis deliciis postponunt. Nam humana imbecillitas illam semper secum fert stoliditatem, ut si in jucundo sit collocata statu, præsentis semper optet voluptatis augmentum; sæpe etiam obtestata intempestivis votis Deum, ut proroget vitæ dies, imò ut in omne ævum his in terris

terris se florere patiatur. At naturæ debitum certissimum est mors; quam tamen Christi intercessione ita emollire possumus, ut post deletas ab ipso naturæ nostræ sordes, cunctasque scelerum nostrorum maculas, insontes ante divinam compareamus faciem, remissâ culpâ lætantes. Sed piè rectèque moriendi leges multi sanctissimi tradidere viri, quas feliciter duabus his observabimus partibus; primùm si nostram miseriam fragilitatemque consideremus, deinde si castis precibus meliorem illam cælestis vitæ conditionem quæramus. Sanè nosse vitæ hujus imbecillitatem calamitatemque, vel primum addet stimulum, ut nullam in fluxa illa inconstantique ponamus spem, quæ singulis momentis everti infringique potest. Quæ enim ætas homini ad moriendum non opportuna est? quis locus tam arduus, tam desertus, tam septus, quo morti non pateat accessus? quæ dignitas, quæ fortuna, quæ mortem non omni tempore timeat? Quamobrem rectè faciet, qui fragilitatis suæ memor, memoriam mortis nunquam removet ab animo, sed eam quotidie sic metuit, tanquam præsens adesset. In hac consideratione vir pius ad

aliam

aliam cónfugit sanctioris vitæ tranquillitatem, quæ nos verè beatos felicesque reddat. Dum enim mortales, rebus etiam prosperè fluentibus, se vident inconstanti judicio, dubia valetudine, & impari sensuum spiritu quotidie vexari, ut hoc momento gaudeant, altero contristentur: nunc ament, nunc infestissimô ardeant odiô; satis agnoscunt, infelicissimos esse se, neque ullam factorum egregiorum constantiam sibi exspectandam, nisi à majori causa, à sola nimirum Dei gratia animentur. Scio gentes, veri Dei ignaras, strenuis facinoribus claras fuisse, ut proinde ineptè solam Dei benedictionem favoremque ad processus negotiorum nostrorum fortunandos exigere videar: sed ea Dei est misericordia in genus humanum, ut & excellentissima sua dona largiatur infidelibus, quæ tamen longè præstantiore vi in piis electisque Deo animis eluceseunt. Itaque uterque, & fidelis, & infidelis præstantes animi dotes virtutesque à Deo habent, cui & debetur, si per singularem ejus gratiam pii ab improbis distinguantur: naturâ enim ad omne malum propensi, æquè ac alii in scelera rueremus, nisi à Spiritu Sancto revocati, ad tempestivam reduceremur

mur pœnitentiam, divino Numini acceptissimam. Hujus radios dum in nobis agi sentimus, innatam imbecillitatem nostram emendamus, vitiorum illecebras, quibus irretiti sumus, vitare discimus, & ad sanctiorem ac Deo pergratam vitam contendimus. At quicquid boni per illam præstamus gratiam, non in terrenâ laude, aut vanâ ambitione consistit; neque enim ad periturum adspiramus gaudium, sed ex quotidianâ tentationum & cupiditatum nostrarum pugnâ illam exspectamus victoriam, ut laureâ æternæ gloriæ insigniti, ad perpetuam extollamur felicitatem, constantissimâ quiete & jucunditate clarissimam. Hac spe suffulti, non horremus mortem, ut supplicium, non expavescimus minantes temporum casus, pace divinâ gavisi: & quanquam adhuc indies vexemur molestiis, affligamurque calamitatibus, non tamen his succumbimus, sed speramus exiguum hujus vitæ dolorem, præstantissimô tandem commutatum iri gaudiô, quo nostræ spes non illis, quibus nunc rapimur, cupiditatum suarum explebuntur deliciis, sed sincero & casto in Deum amore, sed tranquillitate animi perpetuâ, sed lætitiâ illibatâ, in æternitatem omnem

omnem fruentur. Ad hanc autem acquirendam felicitatem, non aliud præsentius validiusque remedium est, quàm si castissimis precibus quotidie invocemus Deum, ut validissimo suo nobis adsit auxilio, ne carnis nostræ succumbamus fragilitati, lassatoque & pigro animo ad eam beatissimam pergamus vitam, quæ & æternâ abundans quiete, & perpetuâ felicitatis pollens dulcedine, nos Deo propiùs adjungit. Et quum tanta nostra sit infirmitas, ut omnibus casibus obnoxium ducamus corpus, & mille periculis expositi vivamus; quid certius præsidium circumponemus nobis, quàm quod ab ardentissimis precibus, à sincerâ Dei invocatione capessimus? Nihil autem flagrantius rogandum est Christiano homini, quàm ut ipsius anima moriatur morte justorum: hoc est, ut firmâ in Deum fide, innocentiâ & integritate vitæ fretus, ex hisce terris, velut ex diversorio discedat. Ac aliorum quidem famam, etsi præcelsa Mausolæa, & sparsæ carminibus laudes extollant, mors ipsa tandem abolet; at hujus gloria perpetua & sempiterna est; vigebitque illa capiti

piti sanctissimo imposita corona, dum cæteri orbis honores concidunt, & fœdè emarcescunt.

Nuper eram facie latâ, validâque juventâ,
Vernabatque meis purpura pulchra genis.
Nunc oculi effossis retrò fugère cavernis,
Et sedet in gemino nox tremebunda specu.
Iam cum pelle pili cessére, & rictibus atris
In vacuos hiscunt ora supina sinus.
Quem fugis, ah demens? quod sum, tu mox eris ipse:
Hoc juvat extremùm dicere, disce mori.

(o)

Nam Mors dira arcu, volucrique celerrima telo,
Heic juvenes, illic funerat atra senes.
Nemo venenatæ vitavit arundinis ictum;
Heic Crœsi atque Iri corpora mixta jacent.
Fortè tamen seras differs tua fata per horas?
Heu certam præsens non habet hora fidem!
Crastina forsan erit, quæ Te lux funere merget,
Si non ad tumulum lux hodierna vocet.

(o)

Quare

Quare age, si rapto ferrum Mors diriget arcu,
Excipe magnanimâ, mens mea, tela manu.
Et pede collato crudelem cominùs hostem
Invade, & forti pectore bella cie.
Hæc etenim impavidum deposcunt prælia pectus:
Magnum est, hoc timidè non cecidisse, decus.
Cæsar agat victo præclaros hoste triumphos!
Mortis erit pretium pulchra corona tua.

(o)

At quereris, dulces veni cur lucis in auras,
Si vitæ fuerant fila secanda meæ?
Si properata nimis matura fata senectæ,
Si vix orta ætas funera nostra ciet!
Non aliter celeres numerat sibi flosculus horas,
Natali tumulant quem sua fata die.
Sed peream, frontem dum cingat laurea nostram.
Non moritur, virtus quem decoravit ovans.

(o)

Hæc quoque causa tuum succendit fortè dolorem,
Et lachrymas auget, flumina mœsta, tuas.
Quòd linquenda domus, gnatique, & amabilis uxor,
Et cumulatarum copia dives opum.
Nimirum solus gelidas migrabis ad umbras,
Nec tecum hinc ullum ferre sinêris onus.
Illa tamen vivo, quæ culta est inclyta virtus,
Exequias sequitur, sarcina sola, tuas.

(o)

Tan-

Tandem, serò licet, qua me post fata manebat,
Involvit frontem sacra corona meam.
Cedite regalis diademata splendida luxus!
Hac vestrum vincet laurea diva decus.
Ipsum etiam calcat mors imperiosior ostrum:
At nostra aternus serta revincit honor.
Versibus indigeant alii. mihi laudis abunde est,
Quòd tegat extinctum sacra corona caput.

FINIS.

SPECIAL 98-B
34145